
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
25 G
2

# CATECHISMVS MAIOR DN. GEORGIJ Wicelij orthodoxi, recẽs innouatus, iterũq; per authorẽ ipsum ab initio vsq; ad finem adauctus: & nunc primùm Latinè sedulò editus,

INTERPRETE BARTHOLOMAEO (*Laurentij Laurentis, vulgò Poyn dicti, filio*) NOVIMAGENSI.




1. Ioannis 2.
Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat.



Coloniæ ex Officina Hæredum IOANNIS QVENTEL, mense Decembri, 1554.

Cum gratia & priuilegio Imperiali.





# GEORGIVS WICELIVS CANDIDO LECTORI Gratiam Pacemque à CHRISTO Seruatore nostro.



*T nihil nouum est sub Sole, ita illud quoque nouum non est, Catecheses scribere, tradere, inculcare. Ecclesia prior tale fecit opus, tam necessarium, quàm vtile, nō aliter àc si citra hanc Episcoporum Christianorum operam, res Christiana nec propagari posset, nec propagata cōseruari. Qua solicitudine vnicè effectū est, vt primis Ecclesiæ temporibus Christianismus vsq; adeò floruerit. Verùm inter illa nostraq; secula obscuratū aurū est, quod in Threnis suis Propheta deflet, ità vt vnà cum multa caligine mutatio magna inciderit: atq; hac talis, vt eam neq; ferre poßimus, neq; auferre velimus. Verū istiusmodi tristia rememorare, huius loci haudquaquā est. Hoc tantùm in votis eße solet, vt Ecclesia suî similis sit, tam docendo, quàm viuēdo: nisi fortè curam vniuersam de DEO, deq; communi salute insipienter abiecerimus. Ad eam verò rem maximè spectat instituēdæ pueritiæ ratio, regulis formulisq; repurgatæ quodammodò doctrina munita. Equidem*

*quantillùm conferat tingi,nisi cõtingat tinctum edoceri,planè in confeſſo paſſim eſt & vbiquè. Huic autem antiquæ ac veræ pietati populi Christiani cùm aliquot antè annis inſeruiẽdum mihi eſſe existimâſſem,ad prædicandas paritèr & conſcribendas Catecheſes Orthodoxas animũ appuli,hoc duntaxàt propoſito,vt vel noſtros ad Officium Eccleſiaſticũ extimularem,vel certè,ſi qui eſſent in naſſam factionis, vt nouæ,ità blandæ,allecti,ad ſobrietatem iſto qualicunq; miniſterio reuocarem. Adieci progreſſu temporis id genus alia Catechiſtica,nimirũ quæſtiões ſcholis Eccleſiaſticis aptas,& Examẽ quoddam eiuſdem argumenti,quod ad Suſceptores baptizatorum pertinere videbatur. Quid enim operæ Chriſtianus Chriſtianis erudiendis non præſtet, vt impleamus nouum de diligẽdo mandatũ? Etenim quatuor omninò ſunt, de quibus hoc agitur Dialogo Theologico. Primum,vt adoleſcentes in CHRISTO baptizati, Rudimenta Catholicæ Religionis diligenter addiſcãt: Deindè, vt de ijs confiteri atque loqui,& confeſſa tueri,ſi neceſſè ſit,pulchrè conſueſcant. Prætereà,vt Myſteria,Ritus ac Obſeruationes citra controuerſiã Apoſtolicas,non habeant ſolùm cognitiſſimas,verùm vt his etiam peragẽdis in publicis Fideliũ Conuentibus vltrò comparent,ſacraſq; res reuereantur,ad glorificandum Patrem qui in cælis eſt. Poſtremò, vt conuerſationẽ, quæ accepto baptiſmate digna ſit,inſtituant,non contenti*

*credidiße solùm, sed credidiße pariter ac feciße. Tale fermè est, quod hîc pertractamus. Iam nè Germaniæ nostræ populis tantù sua in lingua seruiretur, acceßit ad commune Religionis ministerium explendū studiosus & idē syncera pietate commendādus Barptolemaus Laurens, patria Geldrius, cōditione apud inclytam Coloniam celeberrimæ Typographiæ præses, ac eruditione solidiore, quàm splendidiore. Is, nè aliæ nationes, quibus Teutones barbari sumus, huius Operis fructu defraudarentur, hac præsertim tempestate, (qua afflicta Christianorum plebs, tot circūducitur erroribus) rei Ecclesiasticæ rectè consuluit, cùm hæc Theologiæ tyrocinia Latinè conuerterit, simplici quidem atq; facili, hoc est, Theologico, sed tamen puro stylo, vtpotè cui maior de fide cura fuerit, quàm de dictione. Qui idem Barptolemaus pro sua erga DEVM Proximumq; pietate, Precatiōes quoquè Dominicales, quas ad vsum Islebiensis olim Auditorij dictaui, Rhomana lingua donauit, vt à pluribus quàm Germanis inuocetur atque oretur Dominus in tantis Christianismi miserijs. Res Salutis nostræ posthàc, vt semper, in virtute cōsistet magìs quàm in sermone, & à nobis Opera bona requirit Dominus IESVS, cui seruitur, quantacunq; interim sones ac crepes. Hunc Laurentis huius conatū pijßimum tibi Catholice Lector, vt probè commendarem, hisce breuibus & volui & debui. VALE.*

# LECTORI PIO CASTIGATOR TYPOGRAPHICVS Officinæ Quentelianæ Bartholomæus Poyn, S.

ANno abhinc octauo, initio videlicet anni 1547, vacantibus tum hac, tum cópluribus alijs Germanię Typographis, libellum hunc Vuicelij Catechisticum, Germanis à Germano Germanicè editum, amici cuiuſdam gratia, ſimùl etiam, nè nihil ominò, tametſi ocioſus eram, agerem, latinè vertẽdum ſuſcepi. Verti autem ſic, vt & fidei meę, & ei vni atq; adeò ſoli, qui me ad hoc quicquid fuit oneris, abſoluendũ, ſibi obſtrinxerat, ſeorsìm ac priuatìm inſeruirem: quippe qui ſic affectus eſſet, vt interpretationem fidelem, de verbo ad verbum expreſſam, non liberam, multò minùs à dextra ſiniſtráve claudicãtem, expeteret. Eiq; ſolicitè adeò & curioſè hac in re morẽ geſſi, vt non modò verbum ex verbo, ſed & ſyllabã propè ex ſyllaba ſubindè reddiderim: exceptis tantùm paucis admodùm locis, vbi Teutoniſmus ipſe ità Teutonicus eſſet, vt Latinè de verbo ad verbum redditꝰ, ſonaret aut nihil ominò, aut ridiculi barbaríve neſcio quid. Nam eiuſmodi in locis, quanq̃ ſobriè ac raró, libertate ſeu potiùs indulgentia fretus Horatiana, verbulum ſubindè vnum & alterũ, ſen-

ſûs

ſiis tãtùm explédi cauſa, vbì vel Germaniſmus obſcurior, vel ſubintellectio durior, vel alia q̃piam neceſſitas id nõ de nihilo exigeret, quaſi parentheticè interieci. Alioquì præcepto ſiue cõſilio Horatij, dum niſi modo aliquo cõgruè tolerabilitérve fieri potuit, libẽter atq; ſciẽter poſthabito, malui eſſe fidus & hũilis interpres, q̃ perfidus & ſuperbus tranſlator. Hic verò labor quum poſt annos aliquot Authori Operis huius ipſi D. Vuicelio ad diſcutiẽdum oblatus eſſet, iſq; viſum & lectũ, ſtudioſo ac pio lectori haud inutilẽ cenſuiſſet: videbatur neque indignum, neq; temerarium, etſi nonus Horatij annus necdùm adeſſet, ſi Labor idẽ aut verſio iſta qualiſcunq; prelo traderetur, quo ſic & aliȩ nationes Germaniſmi inſciȩ, rerum tamẽ catholicarum ſtudioſȩ, hoc Germanico Germani authoris ſtudio haud incõmodè vti fruiq́; poſsẽt. Vnũ autẽ illud hac in re obſtabat, q̄ is q initiò me ad hanc vertẽdi prouinciã obligârat, verſionis iſtius Archetypon, abſq; ſui recuperatiõe precij, à ſe dimittere nollet, interire hoc ipſum citiùs atq; libentiùs interìm paſſurus, q̃ vt ſinè quantulacunq; ſuarum expẽſarum recuperatione, gratìs publico Eccleſiæ cõmodo edi conceſſiſſet. Sed cùm nouiſſimè tandẽ ſui ille voti cõpos, typographisq́; Archetypi iſtius copia fi

eret

eret,editus eſt is de quo agimus,& quē hîc modò conſpicis, quantuluſcunq; labor ſeu liber. Qui ſi quibus vlli aliquandò vſui fuerit,ijdéq; grati eſſe voluerint, gratiam habeant nō interpreti,qui iam antè ſuam indè mercedem obtinuit:neq; ei qui initiò Verſionē hanc ſtipēdio ſuo ꝓmouit,nam & huic ſuæ reſtitutę ſunt impenſę:verùm inprimìs Authori ipſi Vuicelio,q Opus hoc initiò Germanicè edidit, ác poſteà Latinè verſum, authoritate ſua, ſinè qua nunq̃ in publicum exiſſet,publicandum cēſuit: dein Domui Quentelianæ, q̃ Libelli hui⁹ Archetypō è faucibus illi⁹ ſuprà deſcripti precio redimēs, eundem ſic, vtì coràm hîc vides, in publicum emiſit.Cæterùm ante omnia potiſſimæ gratiarum iſtarum partes debenī illi,à quo bona donáq; omia,qui & Authori primario,& Typographis,Verſoriq; & eius ꝓmotori,quanq̃ aliò reſpicientibus,hanc mentem indidit,vt Opuſculum hoc tandèm aliquandò, qualecunque demùm ſit aut videatur,Eccleſiæ ſuæ Catholicæ cōmodo in lucem veniret. Benè vale, facturus ex iſta Catechiſmi & Precularum Latinę Vuicelij Poſtillæ adiectarum verſione periculum, ſi qua Verſor idem poſthàc volente CHRISTO verterit, legenda an exibilanda ſint priùs.Idibus Decembribus Anni 1554.

REVE-

# REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, Dn. Mauritio Hutteno Episcopo Eichstetteñ &c. clemẽtiss. Principi ac Domino, gratiá, pacem & salutem per IESVM CHRISTVM DEI FILIVM.



N exordio Christianæ Religiõis, cùm iam Euangelium regni DEI in regionibus propemodùm omĩbus clarè insonuisset, vulgò receptum est, vt nè facilè quiuis Ecclesiam ingredi sineretur, neu in Christianorum haberetur numero: sed dabatur primùm probandi annus, in quo, quam de se quisque præberet spem, cerneretur ac innotesceret: Nam Ecclesiæ circunquaquè re ipsa compererant, plerosque nõ

A bo

bono ad ſe animo accedere. Iam quicunque animas ſuas DEO tradidiſſent, ac deſiderium ad chriſtianiſmum nacti fuiſſent, abſque dilatione Rectoribus Eccleſię pręſentabantur: hi ſuſcipiebant illos, curabantque vt Chriſtiana doctrina, noſtroque hoc ſanctiſſimo Chriſtiani & ſalutaris negocij ordine, erudirētur. Completoque huius eruditionis tempore, examinabātur ijdem homines de percepta doctrina: eam ſi tenerēt, Chriſtianæque fidei acquieſcerent, fiebant per lauacrum regenerationis, communionis ſanctorū participes, ſic, vt deincèps eſſent ac vocarentur Chriſtiani, CHRISTI domeſtici & Fratres. Eiuſmodi homines dicebantur Græcè κατηχȣμένοι: cęterùm qui eos viua voce erudiebant, κατηχῆσαι: & eruditio ipſa, κατήχησις: Vniuerſum verò negocium hoc, appellabant κατήχισμον: quæ vox vniuersìm quicquid ei qui ad ſacrum baptiſma parandus, chriſtianusque reddendus eſt, inſumitur, compręhendit. κατηχȣμένȣς ſeu inſtruendos appellat Tertullianus Auditoręs, quemadmodùm & ſanctus

Auguſtinus aduerſùm Petilian. Et Chryſoſtomus eos vocat Illuminandos. S. Hieronymus fatetur in quadam Epiſtola, Naziãzenum & Didymum ſuos κατηχισάς fuiſſe. Alexandriæ primùm erat Magiſter catechumenorum, ſicutì Euſebius ſcribit, quidam nomine Pantęnus. Poſt eum quidam, Clemens dictus. Poſteà fiebat Origenes. Poſt hunc erat Dionyſius magiſter catecheſeon: ſic enim vocat Euſebius, quem nos catechiſtam nunc vocamus. Theophilus erat ſancti Lucæ catechumen⁹, quemadmodùm id Lucas per verbum illud, κατηχήθης, inſinuat, cap. 1. Sic & Eunuchus Act. 8. ſancti Philippi catechumenus fuit, vt Irenæus teſtatur. De ſancto Martino item canitur, eum primitùs catechumenum fuiſſe. Hiſtorięq; narrant, Cæſarem Conſtantinum Epiſcopi Silueſtri fuiſſe catechumenum. Quemadmodùm verò catechumeni olìm inſtruerentur, & quo, id etiam ſcriptum inuenimus. S. Baſilius Magnus pulchra catechumenis prędicauit: eaque Prædicatio, Exhortatio ad Baptiſmum appellatur. S. Chryſo-

ſtomus etiam catecheſes docuit, Tobiæ 4. Homil.21. Sãctusq; Auguſtinus ſingularem hac de re librum ſcripſit, intitulatum, De catechizandis rudibus. ſuumque expoſitum symbolũ, catechumenis adſcripſit. Nõ eñ temporibus illis inſolés erat, vt catechizandi verbo vulgus vteretur, etiam apud Latinos: quemadmodùm Teutones etiamnùm hodiè communiter vtuntur voce Latina parùm deflexa, inſtituiren. Erat fortaſsìs è Paulo vulgare factum, qui vtrũque verborum iſtorum vſurpat, Catechumenus & Catechon: hoc pro magiſtro, illud pro diſcipulo, Gal. 6. Legitur ad hũc modum in Ireneo: Paulus catechizauit gentes. Item, Eunuchus precatechizatus &c. Lib. 4. cap. 40. Inuenitur & in Tertulliano de Militis corona: Cornelium catechizauit Petrus. intellige, Act. 10. Catecheſesque iſtę ſeu Inſtitutiones ſcholæ (nam ſic eas vocat Euſebius lib. 5. cap. 10.) Eccleſiaſticę, ferè communiter Rudimenta fidei fuêre, cuiuſmodi doctrinam ſanctus Paulus lac appellat 1. Cor. 3. Heb. 5. Arbitrorque dogmata illa Eccle-

ſiaſtica, quæ modò ſub Tertulliani, modò ſub Auguſtini, modò ſub Gennadij nomine circũferũtur, maximè catechumenis fuiſſe præpicta. Hæc ego, tãquàm pulchras ac breues catecheſes, Teutonibus (voléte Domino) ad legendum communicabo. Nam quòd inſtitutio eiuſmodi præcipuè initialem ac facilimam de Chriſto doctrinam attingat, indagari poteſt ex Irenęo, lib. 4. cap. 41. & ſancto Baſilio, vbì ad catechumenos hũc in modum ait: Eccleſia filios ſuos huc vocat, vt catechumenos, quos diù parturiuit, lacteque doctrinæ ſalutaris in fide educauit, ſolido cibo plenoq; apparatu corroboret &c. Item ex Auguſtino, vbì catholicos contra Fauſtum defendit, irridentem eos quaſi qui gentes non ampliùs catechizent, Lib. 13. cap. 7. Quanuis autem homines iſti, fidem ac doctrinam Chriſti ex auditu in ſe receperant, nondùm tamen pro Chriſtianis cenſebantur: immò facilè contempti fuiſſent, ſi tanquàm infideles obijſſent mortem, dum necdũm baptizati, hoc eſt, dum adhuc immũdi, plenique peccatis

essent. Tale discrimẽ inter catechumenos & Christianos erat. Cæterùm post baptisma quanquàm catechumeni ritè iam Christiani erant, tamen etiamnùm vocabantur aliquandiù simpliciter Neophyti, hoc est, qui recèns insiti essẽt, intellige, vineę Christi, quæ est Catholica Ecclesia, columna & firmamentum veritatis. Estque vocabulum istud, Neophyti scilicet, etiam ex Paulo 1. Tim.3. sumptum. Ais: Vbi mansit talis in Christianismo Catechismus? Quandò sic agitur etiam nunc? Respondeo, id te çlarè visurum, si DEVS concederet, ex infidelibus nationibus aliquos ad Christi fidem venire. Tum rursùs (vtì cẽseo) innouarentur rectæ veteris catechismi scholæ, quemadmodùm olìm: Gentibusque sua per eas idololatria & inscitia dedolaretur, illuminandis anteà vnici DEI & Euãgelij CHRISTI doctrina, quàm ipsis ad Baptismum accessus concrederetur. Non enim quiuis ità cursìm in tam altam reciperetur dignitatem: sed examinaretur priùs, quid quisque in pectore secũ ferret, nè Religio per leuitatem aut in-

dul-

dulgentiam,contumeliæ riſuique exponeretur. Fides,ait S. Paulus,non eſt cuiuſuis: quoniam natura,cõſuetudo,prima perſuaſio & ætas,grauiter ei reſiſtunt.Ad hęc noſtræ in Chriſti Euangelio res,ità magnę ac mirabiles ſunt,vt difficulter, etiam abſque ſupradictis,fidẽ inueniant,pręſertìm apud Philoſophos & eruditos, quemadmodùm hoc vel ſolùm Act.17.item apud Euſebium lib.x.videre eſt. Patrum hac de re Decreta,ad hunc habẽt modum.Rabanus ait:Catechizandi officium debet baptiſmum(intellige, ſenum ſeu adultorũ)præcedere, vt catechumenus initia fidei inprimìs diſcat. Item, Baptizandus inſtitui primùm debet fide incarnati CHRISTI, atque ità credulus ad baptiſmum admitti. In concilio Braccarenſi pręſtituuntur dies aliquot, in quibus catechumeni SYMBOLVM docerentur &c. Ad eũdem modum pręcipitur in concilio Laodiceñ, vt Baptizandi ſymbolum benè perdiſcant,ac deincèps coram Epiſcopis aut Presbyteris profiteantur &c. Habetur & in Carthaginenſi concilio, quî ſe ta

les gerere debeant. Quid? Non reperimus etiamnùm hodiè catechismos aliquot, ante sexaginta annos Venetijs excusos, quib⁹ Romana vtitur Ecclesia? Principiò interrogat presbyter catechumenum: Quis vocaris? Deindè, Quid ab ecclesia petis? Respõdet ille, Fidē. Quærit presbyter latiùs: quid tibi dat fides? Respondet ille, Vitam æternam. Ait sacerdos: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata &c. Sequũturque omninò pulchra deincèps. eccè, tale quid proculdubiò etiam nunc in opus procederet, si DOMINVS huc animas ex hodiernis ethnicis, q̃ nobiscum saluandę forent, adijceret. Post catechismum ac baptismum habenda esset ad eosdem catechumenos exhortatio singularis, sicutì faciebat Augustinus, vbì ad catechumenos aiebat: Polliciti estis omnibus diaboli pompis & operibus abrenunciare, & in fontem sacrum descendistis. In eodem fonte percontabamur vos: Creditis in DEVM patrem omnipotētem? Ibì vos respondebatis: Credimus &c. Hunc in modum agebat & sanctus Ambrosius, cùm ad

Neophytos iſta verba diceret: Veniebamus ad fontem. In eum tu deſcendebas. Memento quæ tum víderis, & quę dixeris. Diacon⁹ & ſacerdos obuiabant tibi: vngebaris tanq̃ CHRISTI pugil &c. Interrogantibus te nobis, Abrenúcias diabolo & operibus eius? quid reſpondebas? Abrenuncio. Abrenuncias mundo & delicijs eius? quid reſpódebas? Abrenuncio. Memento verborum tuorum. Lib. 1. de Sacramentis. Omninò pulchrè commonefacit Chriſtianos ipſorum baptiſmi & Origenes, vbì ait: Fideles, vnuſquiſque veſtrûm recogitet, quomodò primùm ad vndam baptiſmi venerit, primaq́; Fidei ſignacula receperit &c. Quæ ibì verba locutus ſit, & quomodò ſatanam abnegârit, quòd eius neque pompas, neque opera, neque ſeruitia, neque cócupiſcentias ſequi vellet &c. Lege ſupra Numeros Homiliam 12. Hæc de illorum catechiſmo, q iam adulti ad baptiſmum veniebāt, aut venturi etiamnùm erant. Iam verò perindè receptum initiò fuit, vt Chriſtianorum etiam paruuli in Eccleſia baptizarentur, ſicutì id

ostendi potest ex Dionysio Areopagita, & Origene sup. Rom. 6. non solùm ex Hieronymo, hoc ipsum defendente ad Lętam. Et quid est vulgare magìs in Cypriano & Augustino? Ad hæc, paruuli Christianorum baptizati sunt Romę temporibus Eleutherij Papæ, annis abhinc circitèr mille trecentis. Legiturque adhuc, quòd etiam ante illa tempora, nempe sub Cæsare Commodo, multi probi viri se cum suis pueris fidei adiunxerint. In Lactantio habetur, Omnis ætas. Et in Irenęo reperis: Christus venit omnes per semetipsum saluare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in DEVM, infantes & paruulos, & pueros, & iuuenes, & seniores. Ideò trāsit per omnem ætatem &c. Lib. 2. cap. 39. Nam apud DEVM nihilo magìs est respectus ætatis, atquè personæ. Probari vlteriùs potest, etiam Donatistas, quanquàm Anabaptistę essent, paruulos baptizâsse. Cùm verò nunc tale baptisma ratū sit, fieri non potest, vt catechismus apud hos ante ipsorum baptizatiōem, habeat locum. Esset verò ille hanc ob causam omit

ten

tendus? Absit. Siquidem eiusmodi bonum negligere, propemodùm foret, regnũ DEI sibimetipsi & oĩbus iam recèns natis Christianis, peruicaciter occludere. An satìs est ijs qui adoleuerint, se paruulos fuisse baptizatos? An absolutus in his est totus per id Christianismus? Nequaquàm. Maiores nostri ità neque fecerunt, neque senserũt. Studuerũt enim, omnemque curam suam & laborem illuc intenderũt, vt suos baptizatos CHRISTI nomine pueros vniuersa ea docerent, quæ seniores non loti (qui iam loti, Christiani vellent fieri) anteà didicissent. Ideoque ibì susceptor adest, quem Patrinũ seu compatrem vocant, nempe à Paternitate, quum is puerum tanquàm sibi propriũ, ad Ecclesiam deferat, eumque ad Regenerationem promoueat: quanquàm & naturalis pater dignè illic adesse debeat, quandò sic antiquitùs fuerit obseruatum. De hac baptizandorum paruulorum consuetudine scribit etiam sanctus Augustinus epistola 23. & 105. ad Sixtum. Præter hæc fiũt ibì ponsiones, obligatque se Patrinus fideiussioni

ſioni loco baptizati. Cur ergò tum baptizatus, à ſuis parentibus ſimùl & ſuſceptoribus miſerè adeò negligeretur? Cur ſineretur baptizata iuuentus ità malè adoleſcere, totumq́; adeò baptiſma neq; reputari deincèps, neque recordari? Si bonos obtinere velimus Chriſtianos, qui DEVM & ſuum baptiſmum honeſtent, oportuerit ſanè, vt eos adhuc iuuenes eò trahamus: vtque eis, cùm iam intellectu vigere cœperint, ſuum acceptum baptiſma ſic proponamus cũ timore DEI ac zelo, vt tempeſtiuè nôrint, quid & quomodò circa ſe in conſpectu eccleſię peractum ſit, quãtique ipſorum réferat, quod talia ibì pro ſe vota ſint facta: Præſertìm, cùm videamus Ambroſium & Auguſtinũ, vt ſuperiùs auditum eſt, ſermones authenticos tam ſeriò coram Neophytis habuiſſe. Eſſent hac de re multa exhortationis loco dicenda, ſi tempus ferret. In Libello Pędagogia chriſtiana inſcripto, neceſſarias huius negocij cauſas, Colloquij modo tractaui. Libellus autem iſte diutiùs quàm octo ante annos mihi ex parte interceptus eſt.

Con

Cōtradictionis, quam nos à rebaptizatoribus audire oportet, maxima inprimìs est causa, quòd adeò impij rudesque Christiani aliquãmultis hucusquè temporibus vixerint, viuantque etiam nunc: ob id culpatũ paruulorum baptismus: perindè quasi non hodierno etiam die luce clariùs cernatur, quem fecerint profectũ ij, qui sese iam adultos, immò senes obsoletos, siuerint rebaptizari. Deindè, quòd sacrificuli ità leuiter ac ridiculè baptismum administrârint, sinè deuotione, sinè zelo, sinè affectu. quum tamen abusus iste, baptismi substantiæ nihil adimat. Tertiò, quòd cōpaternitas ista adeò mundanè sit habita, fueritque magìs de ornatu & pompa, quàm de regeneratione pueri curatũ. Postremò, quòd hîc statum non fuerit, sed ꝓcessum ad importunas, immò peculiares comessationes aut ingurgitationes, haud aliter quàm si talia ad baptismum etiam attinerent: vndè & comessationes istæ, Baptismales seu Puerperiales, seu ab infantibus mergēdis vulgò agnominatę fuerint &c. Quanuìs autem hæc & horum

si-



ſimilia, ah plùs quàm debet, vera ſint: non idcircò tamen ſequitur, paruulos CHRISTO baptizare, contra DEI verbum eſſe. Procurentur ſacerdotes, qui ſacrum baptiſmi officium ſanctè ac ſtudioſè adminiſtrent: Decedat ab vniuerſis apud & circa baptiſmũ conſuetudinibus prauis: Trahantur pueri iam indè à ſeptimo ipſorum anno ad CHRISTVM, vtì ad CHRIRTVM baptizati ſunt: ducantur ac doceantur, quicquid ſecundùm noſtram Religionem ſcire facereque tenentur: & deponere quiduis auſim, ni velociter Anabaptiſtarum contradictio ſedetur, boniqúe fructus ex arboribus iſtis bonis legantur. Nam quòd Chriſtiani modò tam inepti inanesque ſunt, culpa eſt profectò non ſuſcepti in pueritia baptiſmi, ſed neglectæ poſt baptiſmum diſciplinæ. Quòd verò catholicæ Eccleſiæ baptiſmus ab vna Secta hîc, ab alia illic, tãquàm inefficax & inſufficiens traducitur, propter cæremonias quæ circa ipſum fiunt, item propterea quòd noſtri baptiſmi fons, verbo DEI in fide circùm Paſcha & Pentecoſten ſolito more conſe-
cra

cratur: magna demonſtratio eſt, tales ſectas eſſe vel amẽtes omninò, vel ex odio aduerſùs Eccleſiam priſcam infernali penitùs cæcatas. Eapropter ſuperuacaneum eſt, quicquid hîc reſpõdere queamus. Ipſi enim aures ſuas & corda, ſupra modum obturârũt ſimùl & obdurârũt. Cęterùm id quod ſingulatìm Luterana ſecta circa baptiſmũ paritèr & catechiſmũ emendauit, non eſt magno precio dignum, dum alioquì non deprauârit etiam, in hoc quòd ſua ſchiſmatica ſomnia, innocentibus ac miſellis paruulis fraudulenter inſculpſit, quo ſic eoſdem adhuc impuberes, ſuo ſtadio aſſuefaceret, in eoque iam ſenes detineret. Nos hîc dextra rectaque via incedimus. Eius ego ſum certus, ità cauſam hanc agẽs, vt maiori deſiderio libentiusque hocipſum fieri videre, q̃ de eo ſcribere, velim. Ac ꝓptereà colloquij inſtàr ordinare libuit, vt ſic & opportunius & acceptius Lectori fieret. Eiuſmodi nanque diſcretus ac facilis ſermo, plùs etiam ad intellectum facit. Ideoq; hoc doctrinæ genus noſtris antiquis Theologis fa-

mi-

miliare fuit, videlicet Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino & Gregorio, quemadmodùm anteà & philosophis, nempe Aeschini Socratico, Phędoni, Euclidi, Stilphoni, Critoni, Cębeti, Simmię, Platoni, Plutarcho, Ciceroni &c. Neque ob id contra Paulum est, quæstiones 2. Tim. 3. & Titi 3. prohibentē, cùm istiusmodi quæstiones & illæ quas Paulus vetat, inter se neutiquàm sint pares. Scripsit prętereà quęstiones sanctus Athanasius, ac post eum sanctus Augustin⁹, sed eiusmodi, quibus in sa piētia proficiatur. Quòd verò historiarum vtriusq; testamenti vnam simùl Epitomen cõscripsi, propter eos potissimùm feci, qui præ tenuitate Biblia ipsa obtinere non valerent. Quanquàm plerique illorum qui Biblia habent, ex ijs nihil adeò sciunt, tametsi aliâs suprà quàm dici possit, ex eruditione gloriam affectent. Hinc possent studiosi Laici suas, quas audiũt, prædicationes eo faciliùs capere, quum hîc coniuncta reperiant, vnaque vice queant compræhēdere, de quibus totiès, absque tamen sufficienti

re-

rerum earundem explicatione, verba fiunt. Et cur non facerem ego, quod ſanctus Stephanus fecit? Cómemorát ne is paucis verbis totum vetus teſtamentũ, Act. ſeptimo? Potuiſſet quis ei dicere, ſicutì forſan tu Inuide hîc dicturus es: Hæc iam anteà in Biblijs inueniebãtur. Vbi verò aliâs inueniri debebant? Poterant eiuſmodi in locis inueniri, vt eis parùm fidei haberem. Et tamen rumorem hunc facilè audire poſſum, vt dicatur, quicquid ego ſcripſerim, id in Biblijs reperiri. Sinantur & illi ſua mecum velle, æquis vt auribus audiant rumorem iſtũ de ſe, quo dicitur, quod ipſi ſcribũt, id neque in Biblijs, neque in Phyſicis inueniri, ſed in cogitationibus ſuorum cordium vanis. Sanctus Paulus imitatur Stephanum, repetitque in ſua apud Antiochiam Piſidię concione, vetus teſtamentum ab initio vſque ad Dauidẽ. Nam illic inueniebat Chriſtum, quem in ſupradictis quęſiêrat, Act. 13. Nouerat etiã rex Dauid, Moſen iam olìm deſcripſiſſe CHVMISCH: & tamẽ enarrat ipſe propè lineatìm omnia Iſraelis Geſta,

Psal.105.&106. Atque vt istud ad nihil aliud vtile sit, eò tamen faciat oportet, vt indoctior primum Matthæi capitulum hinc intelligat. Quid em̃ aliud ago, quàm quòd idem caput per vtrunque Testamẽtum expono? Postremò feci istud ex diui Augustini consilio, quod is Diacono Carthaginensi dabat, scribens ei quomodò catechizare homines deberet. Nec interim supputationis annorum me quisquam insimulârit, cùm videat & Paulũ annos Israelis numerare, nominatim ab Abraham vsque ad Mosis ætatem, Gal.3. Et quid est communius in Scriptura, quàm annos & dies numerare? Præterquàm quòd lepidum ac iucundum sit, scire quàm multis annis aliud atque aliud ante seu post hoc aut illud iam olim sit actum. Et quis non talia comperta habere expetit, quum sæpenumerò multùm indè pendeat, pręsertim ex numeratione septuaginta Hebdomadum (quas vocant) annorum, Danielis 9. sic, vt nôsse ea, iucundum sit paritèr & commodum. Reliquas catecheses ordinaui iuxta veri debi-

tum

tum catechistæ, quum etiam prisci has ferè partes vnà tractârint. Si quid magis arduum hîc est, quàm quod iuuentuti inprimìs ad intelligendum conducat, non ideò perditum oportet. Nam quod vnus capere nequit, id alius potest. Nos hîc paruulis simùl & parentibus inseruimus. Eritq; Catechismus iste lac paritèr & solidus cibus, vnicuique iuxta captum mẽsuramque suam fideliter parat⁹. Si cui placet, is Opusculum hoc PANDECTAS Rei Christianæ appellare potuerit, quandò hîc ferè cuncta breuiter compræhendantur, quæcunque Christianis scienda, credenda, ipsoque opere perficienda sint. In fine Status moraliter instruxi, non ideò, tanquàm ipsos iam primùm omnium à me discere oporteat, verùm vt ipsi & ego ad operãdum, quicquid nos coram DEO ac MVNDO operari debere scimus, incitemur. Aemulatus sum hoc in negocio Ioãnem Baptistam, qui vnumquenque seorsìm ETHICA, hoc est, bonorum MOrum doctrina imbuit, vtì præcipuè Petrus & Paulus fecêre, quorũ verba nos ex parte

huc citamus. Quanuis autem liber iste Catechismi Christiani iam quinquiès Germanicè, cum Editione Friburgensi, excusus fuerit, sed incorrectè (à cœnobita etiam quodam Latinè redditus, verùm hucusquè nõdùm typis editus) & absque singulari cura, non potui tamen omittere, quin eundẽ denuò recognoscerem, multiplicique Additamẽto augerem & ornarem, vt hac opera simùl & Typographo satisfacerem, & Lectori, si hunc nouatum exquireret, idẽ gratior foret. Eum ipsum Gratiose Domine, singularisq́; Mecœnas, Vestræ P.G. humiliter nuncupare & adscribere volui atque debui, tanquàm vni Christiano eruditoq́; Episcopo, ac fideli ouilis Domini IESV pastori. Nam rumorem hũc optabilem habet (Laus DEO) Vestra Gratia omnibus in oris, quocunquè Eichsteteñ Episcopi memoria deportatur: Estq́ue hoc mihi ad audiendum, non minimum in assidua tristitia gaudiũ. Clamo eapropter in oratione mea ad DEVM Patrem misericordiarũ, vt ex Gratia sua talium Antistitum plures excitet ac

mit-

mittat, q Chriſtianitatis multiplices & immenſas neceſſitates non ſolùm peruideāt, defleant ac recogitent, verùm etiam ex corde intimo affecti, ſerioq́ue dediti ſint, huic magnæ & miſerabili calamitati, iuxta poſſe ſuum, ſtabilem opem atque ſalutem ferre: ſi fortè demùm miſera & afflicta DEI Eccleſia, ſemèl iterùm ad requiem ſuā & vnitatem, per maturam recteq́ue adornatam Reformationem, quæ nō diutiùs tardetur, poſſit venire. Fiat experimentum tam diù ac ſæpè, donèc ſemèl tandèm ſuccedat. Interìm noſter quotidianus in cælum ad DEVM clamor, aſſiduaq́ue ad Paſtores in terra monitio, nullum habeant finem. Fient tum profectò multorum ac præſtātium hominum fortia corda, lōgitudine ipſa per ardua Religionis negocia, aliquanto molliora & leniora, idq́ue ex parte vtraque, dum ſeipſos modò agnoſcere cœperint, videntesq́ue videre, quid tandèm cauſę ſit, quòd Eccleſia CHRISTI eiuſmodi tam diuturnā, inceſſabilem, horridam, ſummeq́ue periculoſam tempeſtatem, nequeat euadere. Item

quî commeritum ſit, immò commereatur adhuc, quòd Turcica tyrannis ità duriter noſtris ceruicibus inſtet, pedesq; ſuos ꝓpemodùm noſtras ante fores defigat. Veſtra Gratia iſtud quicquid eſt, hac vice boni velit conſulere. Beneficij quidem, quod DEVS meus per Veſtræ G. manus in me gnauiter ac largiter oſtendit, ego ſemper meminero. Illud mihi ſolũ dolet, ꝙ non ſciam quî ſim demeritur', immò vel gratias acturus. Con ſolor me tamen Diuina promiſſione, q̃ neu trum ex nobis fallet: q̃ vera certaque noſtra eſt fides. Gratia Dñi noſtri IESV CHRISTI ſit tecum ſemper. Is innouet dies noſtros ſicut à principio, vt in eius ambulemus lumine, eiusq; volũtatem faciamus. Amen. Noſtro Stibaro atq; Lucretio multùm ſalutis. Datum Fuldæ, 4. Auguſti, anno M.D.XLI.

Veſtræ P.G.

famulus

Geor. Vuicelius

th.

# INDEX EORVM QVAE IN HOC VOLVMINE TRACTANTVR.

DEO SIT OMNIS GLORIA.
AMEN.

# CATHOLICAE CATECHESES, SEV PRIMORDIALES INSTITUTIONES NOUORUM CHRISTIANORUM, QUÆSTIONUM SIUE COLLOQUIJ MODO DIGESTÆ.

CATHOLI-
CAE CATECHESES, SEV PRI-
mordiales Inſtitutiones nouorum
Chriſtianorum, quęſtio-
num ſiue Colloquij
modo digeſtę.

DISCIPVLVS:

Quid eſt DEVS?

DOCTOR:

Quæſtio tua prima, nimìs ardua eſt. Ratio: Deus eſt maius quid, quàm quod verbis per hominem exprimi, aut ſenſibus compræhendi queat, quòd ipſe rerum omniũ inceptor ſit & origo. Definitionem DEVS non habet. Et quo magìs quiſpiam rem hanc ſcrutatur, eo minùs intelligit ac diſcit, Rom. 11. Citiùs dici poteſt, quid Deus non ſit, quàm qd (Deus) ſit. Eapropter longiùs nè cogites, q̃ ſcriptura monet, Deum eſſe ſpiritũ dicens, Ioan. 4. Atque huic deſcriptioni nonnulli

etiam philosophi consensêre, quibus Infinita Mens Deus erat.

DIS.

Quid nominis est Deus?

DOC.

Nos Teutones Got vom guten, id est, Deũm à bono appellamus, cùm nemo sit bonus nisi ille solus, Marc. 10. Quod ipsum & gentiles aliquot à longè viderunt, Deũ vocãtes summum bonum. Quia verò Deus solus est bonus, ideò Germanicè der Gût siue Got vocatur. Latini ipsum nuncupant DEVM à θέος: quod nomẽ vetustissimi Græcorum à θέασθαι, id est, vidère, deduxerũt: nõ quòd nos Deũ videamus, Exo. 33. sed quòd ipse nos videat, & ità noscat, quemadmodùm & nos ipsum posthàc videbim⁹ ac noscemus, 1. Ioan. 3. 1. Cor. 13. Ipse nos, quotquot orbem terrę habitamus, nõ momento solùm omni videt, sed videt omnia etiã inuisibilia, idque ad infimum vsque abyssi, habitans in luce, ad quam venire queat nemo, 1. Tim. 6. Ei sit gloria & æterna claritas: Amen.

DIS.

DIS.

Vbì eſt DEVS?

DOC.

In cælo & in terra. Ipſe ait: Cælum mea ſedes eſt, terra verò meorum pedum ſcabellum, Eſa. 66. Sapientes ethnici, quibus id Deus Rom. 1. reuelârat, dicebant olìm, DEO plena eſſe omnia. Ratio: Ipſe eſt animus, per omnium rerum naturam diffuſus, per quē omnia viuunt, mouentur & ſubſiſtunt.

DIS.

Quandò factus eſt Deus? & quandò eius nihil erit ampliùs?

DOC.

Deus nunquàm eſt factus. Semper eſt, & hoc eius ESSE, nõ mutatur in æternum. Deus eſt abſq; principio, qui in principio creauit omnia: & abſque fine, qui cuncta in fine Mundi perire ſinet, nouaque faciet, Pſal. 101. Gen. 1. 2. Pet. 3.

DIS.

Quãdudùm creauit Deus cælum, terrã & omnia? & q̃ diù eadem ſunt duratura?

DOC.

Ad-

Adeò certi annorum mũdi esse non possumus. nulla enim supputatio alteri consonat. Nonnulli computant annos quinquiès mille, quadringẽtos octogintaduos. Aliquot supputant 5658. Plerique, 5479. vsq; ad annũ istum 1535. Tantum intercessit temporis iam indè ab exordio vndè Moses ait. Cęterùm quandò Mundi finis sit venturus, eius verò nos omninò incertos esse necesse est. Nam talia scire solus pater sibi reseruauit: adeò, vt id nec angeli eius nôsse debeãt, multo minùs nos, Mat. 24. Finis certè huc appropinquat, nondùm tamen hîc adest, 1. Pet. 4. 1. Cor. 10. Multùm iniquitatis perpetratum est in mundo per spiritũ satanę: fundamentalem verò fæcem ante nos etiamnũ habemus, 2. Thess. 2.

DIS.

Per quidnam Deus omnia creauit?

DOC.

Verbo, Gen. 1. quod deindè caro factum est, Ioan. 1. cuius nomen vocatum est IESVS, priusq̃ in matris vtero conciperet, Lucæ 2. Adfuitq; in & coram hoc DEI sexdierum

la-

labore Spirituſſanctus, cum creatore & verbo verus ac vnus Deus, Gen. 1. Ioan. 15. Mat. 28. De creatione Mundi ſcribere oportuit etiam Ethnicos: nõ quòd nobis teſtimonio illorum opùs foret, ſed quia volupè eſſet, nos id ſcire. Ad iſtum modum ait Virgilius in ſexto:

Principiò cælũ ac terras, cãposq; liquẽtes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra
Spiritus intùs alit &c.

Aptiùs verò Ouidius Metamor. 1.

Ante mare & terras, & quod tegit oĩa cęlũ,
Vnus erat toto Naturæ vultus in orbe,
Quẽ dixêre chaos: rudis indigeſtaq; moles,
Nec quidquam niſi pondus iners &c.

DIS.

Cui Deus vniuerſa creauit?

DOC.

Non ſibimetipſi, cùm nullius rei neque in cælo, neque in terra indigeret: verùm nobis hominum filijs, Gen. 9. Pſal. 8. ſed ad ſuî honorẽ, velutì Eſaias ait. Creaturas igitur ex DEI manu cum gratiarum actione ſuſcipiamus, eumq; propterea laudemus & glo

rificemus. DIS.

Qui erant primi in exordio homines?

DOC.

Primus homo dicebatur Adam,& erat ADAM,(ſiquidē ADAM dicitur homo terreus)quòd ex terra factus eſſet,ſexu virili. Altera homo vocabatur Heua,ſexu muliebri: eam Deus ex viri Adæ coſta faciebat. Iſtud hominum par Deus in horto,qui EDEN ſiue Paradiſus vocatur,matrimonialiter coniūxit,ſic,vt à duobus iſtis poſt lapſum eorum,cuncti iam homines ſuper terram educti,viuenteſque animæ ſint facti. Propriè verò noſtra origo puluis eſt, in quem etiā reuertimur,Gen.2.3. 1.Cor.15.

DIS.

Quî ſe habet res Angelica? De hac rectè inſtrui expeto.

DOC.

Angeli perindè ſunt creaturæ,atquè homines, prçterquàm quòd his illi digniores ſint.Ità ſcriptum eſt de angelis:Deus qui facis angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos flammam ignis. In quibus verbis Angelica

natura, expedita motio ac potentia, deſcribitur, Pſal. 104. Ipſíque, cùm ſpiritus ſint, neque carnem neque oſſa habent: iuxtaque proprietatem ſuam, neque comedunt ſicutì homines, neque bibunt. Ipſorum officij eſt, ſtare ante DEI patris noſtri faciem, iuſſaque eius præſtolari, Matt. 18. Ad hoc, DEVM abſque intermiſſione benedicunt, Pſal. 103. eumque laudant, Pſal. 149. & adorant, Pſal. 97. Ipſorum miniſterio Deus in rerum exordijs ſæpè vtebatur, coramq; patriarchis, Abraha, Loth, Iacob, Gedeone, Dauide &c. qbus in forma viſi fuerunt humana. Eorũ famulitio populum ſuum Iſrael deduxit, protexit, ac liberauit, ſicut in Biblijs ſæpè legitur. præterquàm quòd per eos ſua Diuina ad homines mandata expediri ſinit. Eorum finale officium & opus poſthàc ad conſummationem ſeculi erit, ꝙ cum Chriſto Domino noſtro in magna ꝑdituri ſunt gloria, Mat. 25. 1. Theſſ. 4. oĩaq́; ex eius regno ſcandala ablaturi, Mat. 13. Interìm legantur à DEO ad nos eripiendos & corroborandos. Angelus Domini, inq̄t

Dauid,circũſtat exercitus eum timentes,& eripit eos,Pſal.34. Item ad nos, poſt huius vitæ deceſſum,in Abrahæ ſinum deferendos,Luc.16.ſic,vt nos demùm id,quod ipſi nũc ſunt, futuri ſimus, quanquàm nos hîc multò alij ſumus, Marc.8. Ipſorum multitudo quaſi innumerabilis eſt,Heb.12. Atq; hinc ferè per legiones exprimũtur,ſicutì in exercitibus vocabuli eius eſt vſus. Ex eorũ nominibꝰ apud nos haud ignotis,ſunt hęc: Michael,Gabriel,Raphael.Item Vriel,quę vox interpretata,ſonat Latinè,Lux eſt Deus.Et in Arte Cabaliſtica vnum habent Angelum, Raſiel dictum: Latinè,DEI ſecretũ. Præter hæc legitur in Philone Ceruihel,& in Sedulio Anahel &c. Eorũ mirus eſt ordo,aliquotiès à ſancto Paulo annotatꝰ,vbì de Thronis,Dominationibus,Principatibꝰ ac Poteſtatibus &c.ſcribit,Col.1. Epheſ.1. Sanctusq; Ignatius ſancti Ioannis diſcipulus, loquitur etiam de talibus vbì mentionem facit Archangelorum,Angelorum,ordinum Militiarum, Virtutum,Dominationum,Poteſtatũ &c. De his ſcribit & Ori-

ge-

genes in libris contra Celſum. De angelis ait ſanctus Hilarius ad hunc modum: Saluatorũ per Chriſtum oratiões angeli quotidiè offerunt: Sup. Matth. De angelis pulchra narrat Chryſoſtomus ſup. Coloſ. Homilia 3. Archangeli vocabulum reperis & in Paulo 1. Theſſal. 4. & in Iuda Thadæo. S. Dionyſiꝰ multa de Choris Angelicis ſcripſit, deq; Cherubim ac Seraphim, in libro de cæleſti Hierarchia. Poſt eũ multi alij veteres, præcipuè Sedulius, & Ioannes Damaſcenus, lib. 2. cap. 3.

DIS.

Habet etiã veritatis aliquid, quod de malis angelis fertur, item de caſu angelorum?

DOC.

Vtiquè. Nam ſicutì Deus bonis hominibus bonos angelos in tempore neceſſitatis auxilio ſummittit, ità rurſùm malis hominibus malos angelos, vexandi & perdendi gratia, immittit. Huius fundamentum certum habes Pſal. 78. & Pſal. 33. item in Geſtis filiorum Iſrael, quum exterminans Angelus circumiret & occideret Aegyptios,

Exo.12. Loquitur & ſanctus Paulus de angelo ſatanæ 2.Cor.12. Item Matt.25.Dominus ipſe angelos quoſdã, diabolicos appellat. Sanctus Clemens ſcribit de bonis ac malis angelis, ex verbis Aquilę lib. 8. Quòd angeli verò aliqui ſunt mali, ipſorum falſitatis culpa eſt, non creationis. Nam DEVS angelos neque malos creauit, neq; diabolos, verùm poſt creatiõem ipſorum, tales ex bonis ſunt facti. Cumque hęc vera ſint, neceſſariò ſequitur, noſtram de angelorum LApſu fidem, rectam eſſe. Huius fundamentũ in verbis ſancti Petri habes. Si Deus angelis qui peccârunt, ait ille, non pepercit, ſed catenis tenebrarũ ad infernum detruſit &c. 2.cap.2. Narratque Iudas Thadæus, quemadmodùm Deus angelos qui ſtationem ſuam deſeruerãt, in iudicium magnæ diei reſeruârit &c. Poſtmodùm ſcripſit de angelorum caſu ſanctus Dionyſi⁹. Item ſanctus Iuſtinus in Parænetico, hanc fidem Gentibus oſtendit ex ipſorum Homero, quòd is dicat Aten de cælo detruſam. Audetq; hãc fidem ex Eſaia confirmare, qui cap.14. vati-

ci-

cinatur da Babylonico tyrãno, quòd è ſuo regio throno ad infernum deturbãdus ſit, perindè àc Heoſphorus ſiue Lucifer de cælo. Et quis ambigat, Dominum noſtrum angelorum ruinam denotâſſe, dum ait, Vidi ſatanam de cælo tanquàm fulgur cadentẽ, Luc.x? Sãctus Ireneus etiam ſcribit de apoſtaticis angelis Lib.3.cap.35. Cõſimiliter ait Origenes, quomodò diabolus, Angelus fuerit: apoſtataq; factus, multos Angelos ſecum deficere fecerit, q nunc angeli eius dicantur. In libris Periarchôn Origenes paſsìm de lapſu angelorum ſcribit. Item Euſebius de Præparatione Euangelica Lib. 7. cap. 6. Ibì & veritatem, & vetuſtiſſimorum de Angelis teſtimonium habes. Huc reſpexerunt etiam Gentiles, duos ſibi Genios, de quibus Empedocles in Plutarcho loqtur, conſtituentes. Fuitq; Mercurius eius apud nos æſtimationis, cuius veri apud nos Angeli creduntur eſſe.

DIS.

Qui erant primi in terra ſancti?

DOC.

 Abel,

Abel, Seth, Enoch &c. Abel, Adæ & Heuæ secūdus filius, placuit DEO operibus suis, Gen. 4. & hunc Dominus iustum appellauit Mat. 23. propterq́; iustitiam vsque ad mortem persecutū asserit. Seth item Adę filius, testimonium, quòd nomen DEI inuocare cœperit, habet Gene. 4. Sed & Enoch suæ cum Domino ambulationis testificationé obtinet Gen. 5. Alijq́ue per idem tempus DEI filij, multo plures erant.

DIS.

Quandiù stetit prior Mūdus, antequàm diluuio deleretur?

DOC.

Plùs quàm mille & quingentos annos.

DIS.

Cur eum Deus aqua deleuit?

DOC.

Propter peccata. Etenim homines ità se malitiæ dedebant, vt Deus id ampliùs ferre nequiret, puniens eos aqua, sicutì posthàc humanam nequitiam igne puniet æterno, Mat. 25. Nam Deus est iustus.

DIS.

Cu

Cur Noe cum suis octo, viuus in arca permansit?

DOC.

Propter iustitiam suam, Gen. 7.

DIS.

Quandiù fluxus ille terribilis durauit?

DOC.

Aquarũ ex abysso & aëre cõfluxus, quadraginta dies & XL. noctes durabant. Congregata porrò aqua, vbì submersa & obducta iacebant omnia, vno circiter anno stabat, Gen. 8. Interìm se Noe cum paucis animabus & omnigenis animalibus, vno videlicet singulorum pari, in arca super aquam, sinè iactura & penuria, continebat.

DIS.

Cur ea vice Deus iridem in cælo apparére siuit?

DOC.

Propterea quòd ira eius subsideret, peritumq; Mundũ reparare iam vellet. Huius signum ac memoriam, quòd posthàc nullum ampliùs venturum esset diluuium, arcum suum in nubibus ponebat. Ità DEVS

Mūdum restituit in Noë & eius progenie, quēadmodùm priùs eum cœperat in Ada & eius semine, Gen. 9. ac 10.

DIS.

Quādudùm post Noën ac diluuiū erat Abraham? & quomodò cœpit in eo Iudaismus, cùm tamen illo tempore neque Moses, neque lex, neque synagoga esset?

DOC.

Abraham nascebatur anno circitèr trecentesimo post Noën, vir iustus, in multis tentatiōibus probatus, atque in DEI timore stabilis inuentus. Is autem primus circūcisus fuit: vndè & ipsum Iudæi omnes Patrem appellant, quòd externam in eo Deus circuncisionem inceperit, in signum fœderis initi cū populo vno singulariter pio inter tot idololatras ac pessimas Nationes, quales videlicet erant gētes ex semine Cain, qui primogenitus erat Adæ: gentesq; ex semine Cham, qui Noës filius erat: itē Cananæi, Aegyptij, Chaldæi, Sodomitę &c. Ità colligebat sibi Deus per Abrahā & eius semen in veteri Mundo popellū, qui DEO

ser

seruiret,& vndè DEVS ipse in fine temporũ homo nasci vellet, propter homines indè, quò primũ Adæ peccatum eos duxerat, liberandos.

DIS.

Quam singularem nationem produxit Abraham?

DOC.

Ipse annorum erat cẽtum, vxorque eius Sara nonaginta, quum illis à DEO mirabilis puer Isaac daretur. Iste Isaac euadebat in virum sanctum, vxorẽ ducens nomine Rebeccam, quæ ipsi Iacobum pariebat. Ducebat & Iacob iste vxores, quæ duodecim ei filios vniuersìm pariebant. Ex his duodecim filijs Iacobi, cuius pater Isaac, auusque Abraham erat, vniuersus populus Iudaicus prouénit. Hinc olìm populus idem in duodecim Tribus diuidebatur, iuxta duodecim huius Iacobi filios. singulæque tribus à singulis filijs appellabantur. Collectìm vero vniuersus Iudæorum siue Hebręorũ populus, ISRAEL aut Israelis filij nominantur, propterea quòd Iacob (ex cui[9] sangui-

ne ipsi vniuersìm progeniti sunt) etiam Israel diceretur. sicque nomen istud ab AVO suo habebant. Huius generosæ p̄sapię DEI, ipse Domin⁹ esse volebat. Hinc ipse tam sæpè vocatur Deus Abrahæ, Deus Isaac, Deus Iacob, cùm populus suus à tribus istis fuerit prognatus. Hæc Abrahamica siue Iudaica progenies, initiò modica erat, dum adhuc in terra Canaan, quò Abraham ex Aram Mesopotamię primus venerat, habitaret. postquàm autem in Aegyptum venit, magnę rerum caritatis occasióe, succreuit identidèm sic, vt generatio hæc intra quadringẽtos ac triginta annos iam indè à tempore Abrahæ, propemodùm innumerabilis fieret, quantunuìs vehemẽter opprimeretur, eiusque incumberetur diminutioni. Cùm hos Moses DEI famulus ex Pharaonis tyrannide liberaret, exibant vno die ex Aegypto sexcẽta virorum huius generationis millia, idq́; peditatu, mulieribus ac paruulis haud nũeratis. Nomina duodecim filiorum Iacob seu Israelis, vndè tota hęc p̄sapia succreuit, legis etiã in nouo testamen

to,

tò, nempe Apocal. 7. Ex hac Abrahę p̄genie nat' est Christus noster Messias, RO. 9.

DIS.

Quandudùm post Abraham erat Moses?

DOC.

Supputantur circitèr quadringenti vigintiquinque & pòst adhuc octoginta anni. Posteà ductus est magnus ille populus Israel ex Aegypto, cùm Aegyptij anteà decem abominabilibus plagis à DEO p̄cussi essent, Israelq́; siccis pedibus arenosum rubri maris fundum mirabiliter transisset, immò potiùs regi Pharaoni auolâsset. Eodemq́; tempore edidit legē suam DEVS per manū Mosis omninò potenter, hoc est, sicutì DEVM decebat, dum ferè populus ad promontorium Sinai dictum, post vastas solitudines propinquaret.

DIS.

Quidnam ibì Deus populo suo Israeli, quē ex terra Aegypti liberârat, statuebat?

DOC.

Statuebat singularem quendam DEI cul-

tum.nam ob id eos potissimùm liberabat. Hic DEI cultus, erat in fide vnius DEI, in sacerdotali oblatione, & in recta conuersatione situs, Instituebatur ibidèm sacerdotiũ in quodã, Aaron dicto, qui cum suis cõsacerdotibus multas omninò DEI leges perficiendas habebat, erga seipsum, erga Tabernaculum (quod per id tempus, eorum templum erat) & erga plebem. Puritati & pietati vt studeretur, DEI voluntas erat. Præuaricabatur aliquis? Eum corpore suo absq; misericordia luere oportebat. Nam populus ille, quantunuìs magna ei à DEO charitate exhibita, acri disciplina regebatur.

DIS.

Hic DEI in Tabernaculo cultus iuxta Legem, durauit fortassìs tempore Mosis: sed quem habuit posteà successum?

DOC.

Non dubito quin de populo Israelitico propterea sic quæras, quòd Domin⁹ noster postmodùm ex hoc populo nasci voluerit: Quanquàm alioquì scitu necessariũ est, propter noui Testamenti intellectionẽ,

præ-

præterquàm quòd de reb' diuinis loqui & audire,etiam pium ſit ac ſalutare. Cultus procedebat ſedulò,dum Moſes populo p̃eſſet,nẽpe quadraginta annis: Hoc eſt ferè tempus illud,quo in deſertis degebãt.Necdùm enim tunc temporis locum vllum manentem habebant iam indè cùm ex Aegypto exîſſent,verùm expectabãt aſſiduè pollicitam regionem bonam,Canaan dictam, vbì quondàm Patres,Abraham,Iſaac & Iacob,peregrini habitâſſent.Eumipſum populum DEVS huic populo in ſeruitutem tradere volebat.

DIS.

Quis tandèm in Moſis locum ac Regimen ſuccedebat?

DOC.

Eximius quidam heros,Ioſua dictus: q perindè gnauiter & ſtrenuè fidẽ,legẽ, cultumque DEI ſeruabat,atquè anteà Moſes. Sub hoc inchoabantur magna illa bella, q̃ populus DEI cum Ethnicis,eorũ terras iuxta DEI mandatum occupaturus, habebat. Hunc principem Ioſuam oportuit populũ

per

per ſiccatum Iordanē traducere, velut Moſes anteà per mare rubrum traduxerat, idq́; cum grandibus miraculis ac ſignis DEI. Cumque is populum tranſportâſſet, gentesque diuina pugna viciſſet, partiebat terras inter duodecim tribus Iſrael, vt quos iamdudùm itineris longi ptæſum erat, ędificationi & agriculturæ inſtarent. Ità præſtitit DEVS, quod diù anteà & ſæpenumerò pollicitus erat. Ipſe enim eſt verax.

DIS.

Cùm iam & Ioſua moreretur, quî tum ſucceſſit populò in Canaan? & quid dominorum nanciſcebatur?

DOC.

Nulla erat apud eos neceſſitas, niſi tantùm quandò ſui DEI obliuiſcerētur, irētq́; poſt deos alienos. Id cauſę fuit, quòd in regiones idololatricas abducerētur. Nā cùm ſibi malum quod erat, citò perſuaderi ſinerent, quemadmodùm patres eorum in ſolitudine mortuo vitulo facilè adhęſerant, ec cè tum DEVS eos in violētium ethnicorum manus tradebat. Modò vexabat eos Aram

Mesopotamię, modò Amorrhæi, modò Madianitæ, modò Ammonitæ, modò Philistęi &c. Cæterùm quandò illos iã satìs correxerat, perindè saluabat iterùm: semperq; mittebat eis liberatores, qui ex illis oriebãtur, superbisq; ethnicis vicissìm talionem reddebãt. Liberatores appellabãtur Othoniel, Ehud, Barach, Gedeon, Iephthe, Samson &c. Aliâs Iudices vocantur. Fueruntq; plebis domini, eam in fide paritèr & cultu DEI seruantes, contraque Gẽtilium potentiam conseruantes. Iudices regebant Israelem annis circitèr trecentis.

DIS.

Quid accidebat posteà?

DOC.

Peccata inter eos non cessabant. Eapropter iacturam magnam faciebãt, duriterq; agebãt. Porrò cùm nullus inter eos ampliùs fieret Iudex, tum verò Sacerdotes gubernare cœperunt, quemadmodùm Heli & Samuel. Is status durabat annos circiter octoginta. Non ità longè pòst suscitabantur reges, cùm iam populus sibi magnus ac potẽs

videretur: Ethnicorumq; in circuitu potentia se confortabat, vt resistētiam fieri oporteret. Prim⁹ rex vniuersi Israelis, vocabatur Saul. Postmodùm Dauid, post eum fili⁹ eius Salomon. Dauid & Salomon cultū DEI ritè instituebāt, omnia secundùm legalem Mosis librum. Ad quod opus Salomon etiam primū templum ædificabat. Per illud tempus optimè cum Israelitico populo, domi simùl & militiæ, agebatur. Isti tres primi reges gubernabant, alter post alterum, centum viginti annos. Estque in scriptura cōputatum, quòd præterièrint quadringenti octoginta anni, interim dum Israel Aegyptum exîsset, Salomonque Templum ædificaret.

DIS.

Deincèps malè successit, arbitror, huic regno; Agè quò tandèm euasit?

DOC.

Mortuo Salomone, futur⁹ erat filius eius Roboam vniuersi Israelis rex, quemadmodùm tres primi fuerant. At cùm ille populū nimìs grauaret, defecit hic ab illo: elegitque sibi regem priuatum, Ieroboam vo-

catum. Huic ex duodecim tribubus adhærebant decem: nominabaturque rex Israelis, ac Samariæ habitabat. Illi verò adhærebant solùm duæ tribus: vocabaturque rex Iudæ, & HIerosolymis habitabat. Ità manebat regnum diuisum: habebatque ex ordine suos peculiares vnumquodq; reges: HOC suos nouẽdecim, cum vna regina, vsque ad suî correctionem: ex his quatuor erant boni, nominatim Dauid, Iosaphat, Ezechias, Iosias: manebantque in sua bonitate constantes: Illud habebat suos duodecim, vsq; ad suî punitionem. Horum nullus erat bonus, pręterquàm quod Iehu quidam merebatur, quãuis nullam in eo stabilitatem haberet. DIS.

Quam punitionem? quídve commeruerant ipsi? DOC.

Decem Tribus cum suo rege primùm idola colere cœptabãt: in saccum igitur & eos primùm oportebat. Veniebant eñ Assyrij virga DEI. superabant illos bello, abigebantq; illos secum, nõdùm etiam reuersos. Hæc Assyrica transmigratio facta est,

cùm

cùm tale diuisum & idololatricum regnũ Samarię stetisset circiter ducentos & quadraginta annos: intellige, iam indè à morte Salomonis. Assyriorum rex qui hæc patrabat, nũcupabatur Salmanassar. Ità regnum istud super Israelem quod cœperat Ierobo am, malum finem capiebat. Vis nunc & alterius regni castigationem audire?

DIS.

Libenter ac sedulò.

DOC.

Regnum hoc erat hæreditas domûs Iudę, tametsi minimùm populi haberet: nam quid sunt Tribus duæ cõtra decem? Verun tamen cùm & per idola peccaret, correctũ etiam oportebat. Babylonij enim (DEI ministri) ter veniẽtes, postremò Ierusalem expugnabant, diripientes qcquid ibì erat, abigentesque Iudam, hoc est, populum duarum Tribuũ, captiuum Babylonẽ in Chaldæam, sicut Israel (hoc est, populus decem Tribuum) abactus erat Halah & Habor versùs Assyriam. Ista Babylonica transmigratio facta est, cùm hæreditarium regnum ste

tiſſet iam indè à Roboam fermè trecentos ac nonaginta annos. Babylonico regi qui id faciebat, Nabuchodonoſor nomē erat. Eapropter autem regnum illud finem non cepit, quemadmodùm illud Iſraeliticū, immò potiùs ſeditioſum, cum Ieroboā & ſectatoribus eius: ſed tandèm rurſùs in ſuum ſtatum peruenit. Conſummatis enim ſeptuaginta annis, de quibus anteà vates ſæpenumerò locutus erat, duæ trib⁹, Iuda & Beniamin, è Babylone per nouum quēdam regionis eius regem, Cyrum appellatum, liberabantur. Eratque ibì tum è regio Iudæorum ſanguine ſuperſtes Zorobabel, cuius auus fuerat Ieconias, in deſtructiōe Hieroſolymitana cum alijs Babylonē verſùs abactus. En hic, Eſdras, Nehemias, & alia capita, reducebant populum Iudaicum in patriam ſuam, reficientes ac reædificātes mœnia & ciuitatē Hieruſalem, deſtructum etiam templum.

DIS.

Iam vetera DEI negocia rectè intelligo. Nā eiuſmodi ordinata, facilis, breuisq; enumeratio, multùm apud me rudem hominē

 fa-

facit. Sic enim aduerto, quòd DEVS suum Abrahæ populum eduxerit atque correxerit per annos mille sexcentos octoginta & vnum, videlicet ab ipso iam indè Abraha, vsque ad illam è Babylone liberationem. Quid verò accidebat, postquàm miser populus domum reuenisset?

DOC.

Ibì tum ædificabant & plantabant, faciebantq; sic, vt qui semetipsos alere vellent. Tantùm suas ædes extruebant primùm. Aedem DEI præstolari necessè erat. Eapropter mox iterùm correctionem, sed clementem, vndè scribit Haggęus, sentiebãt. Nehemias eos qui ex Babylone domum redierunt, cõputauit, asserens fuisse bis & quadragesiès mille, trecentos ac sexaginta. Serui & ancillæ fuerũt septiès mille & aliquotiès centum &c. Cupis nôsse, quot anni intersuerint inter eductionem populi ex Babylone & natiuitatem Domini nostri IESV Christi? Supputantur anni plures quadringentis. Cæterùm à Babylonica liberatione vsq; ad mortem Christi, propriè numerando,

do, sunt anni quadringenti ac nonaginta. Ijsdem temporibus etiam variè cum Iudęis actum est. Nam qui Babylonios anteà supra ceruices suas habebant, ij posteà Syros ac Romanos copiosè & abũdè recipiebãt. Græcos quidem ægrè effugiebant. Rectores eorum post Zorobabelem fuerũt, Hyrcanus, Iudas Machabæus cum suis fratrib9, item Aristobulus, Alexãder &c. Quantùm calamitatis per ea tẽpora rursùm in Iudæa, bellando & latrocinando, eueniebat? Postremùm regnabat Herodes, qui non ex Iuda, verùm ex Edom natus erat. Tricesimo eius regni anno, nascebatur filius hominis IESVS Christus. Nam tempus iam tum aderat, secũdùm Iacobi & Danielis prophetiã.

DIS.

Hæc fuerit trãscursio gestorum veteris Testamenti, ab initio vsq; ad finem: qbus cognitis, noui testaméti Acta mihi eo gratiora & intellectu faciliora erunt. Anteq̃ verò ex hoc nouo quicquam rogem, de patriarchis ac prophetis parumpèr audire libẽter velim.

DOC.

πατριάρχης Græcè primarium sonat patrem. Eiusmodi erant, Abraham, Isaac, Iacob, eiusque duodecim filij, Iuda, Ruben, Gad, Aser, Neptalim, Dan, Simeon, Leui, Isachar, Zabulon, Ioseph & Beiamin. Hos enim diuus Stephanꝰ patriarchas nominat Act. 7. quòd ab his vniuersa Iudæorum natio sit deducta, vtì superiùs est auditū. Sanctus Petrus Dauidem etiam vocat patriarcham Act. 2. In libris Paralipomenon, nomen hoc multis datur. Et quos nos patriarchas dicimus, eos Hebræi vocāt *Rosse aboth*, id est, principes patres. Prophetæ, erant sapientes doctique in Iudaismo viri, velut inter ethnicos philosophi, gymnosophistæ, Hierophantę, Magi, Brachmanæ &c. priusquàm soleuit vt Pharisæi, & Literarij, & Nomici fierent, qui erant Scribæ & Legis doctores &c. προφήτης Græcè, vocatur Latinè prædicens siue presagiens: quispiam dicens aliqd antequàm fiat. vndè & Hebraicè ROEH, hoc est, Videns, appellatur. Eximij viri nominabantur Prophetæ, sicut Abraham, Aaron, Samuel &c. etiā si nihil scripsissent.

Eo-

Eorũ enim aliâs multi ſunt in ſcriptura celebrati,qui tamen nullos poſt ſe libros reliquerunt:vtì Nathan,Gad,Ahias,Sameias, Abdo,Azarias,Anani,Iehu, Helias, Heliſæus,Vrias,prophetiſſæ item duę Maria & Olda. Præter hos,eorum etiam multi fuerunt,quorum nè nomina quidem ſint ſcripta:taceo ꝙ libros vllos reliquiſſent. Sunt gregatìm ſubindè collecti, DEIque negocia cum laude exequuti. Vates q̃ noti ſunt, qui nobis ſcripturas ex Spirituſancto infuſas reliquerunt, magni & parui, ſexdecim ſunt vniuersìm,De prophetarum ſpiritu lege ſanctùm Petrum 1.cap.3.& ſanctum Paulum Epheſ.2.& 3.Horum maximè eximius eſt Eſaias.Is propheticum librum,ſexaginta capita comprehẽdentem,ſcripſit:vixitq; ſub Ezechia.Ieremias,Ezechiel ac Daniel, anno pluſquàm centeſimo poſt Eſaiam floruerunt, nempe quo tempore Iuda in Babylonem abigeretur,vndè ſuperiùs eſt auditum.Immò Ezechiel & Daniel eius exilij participes ambo fuêre. Hoſeas vixit tempore Iſaię.ſimiliter Ioël,Amos,Micheas,Na-

hum, Abacuk & Sophonias, cùm iam idololatria decem tribuum paritèr & duarum maximè ferueret. Talibus eñ tunc viris erat opùs. Dominusq́ue eis sat laborum suppeditabat. Ionas vixit tempore Heliæ, quemadmodùm & Abdias. Tres vltimi, nempe Haggeus, Zacharias & Malachias, vixerũt tempore Esdræ, cùm iam populus Iudaic⁹ ex Babylone Hierusalem venisset, dum adhuc circitèr quadringenti superessent vsq; ad Christum anni. Oḿes isti maximam doctrinæ & correptionis partem inter Israelitas exequuti sunt ore, minimam scriptis.

DIS.

Quot habet vetus Testamentum libros in summa?

DOC.

Canonicos libros, paruos ac magnos, vniuersìm trigĩtaocto, & apocryphos viij. Omnes isti libri, collectìm sunt Biblia. nam βίβλιον Græcè libellũ significat. Hæc Biblia intelligim⁹, quotiès scripturam sacram nominamus. Quod indè inoleuit, quòd Græci dicerent solerent ἁγιογραφίαν, quæ vox sonat

at sacram scripturam: aut etiã indè, quòd
anctus Paulus Biblia sacras literas appellat
.Timo.3. Bibliaque ipsa siue Libelli (quos
anctus Paulus non absque ratione θεοπνεύ
ους, hoc est, à DEO inspiratos, vocat) sunt
vniuersìm à Mose & pphetis Hebraicè primùm
scripti: longè pòst in vtilitatem gentium,
etiam Græcè redditi. Spiritussanctus
eos in tabulam cordis nostri scribat, vt nõ
ipsi nos, sed DEVM in eis quæramus & inueniamus.

DIS.

Enumera mihi dicta aliquot prophetica
ex veteris testamẽti libris, quæ perspicuè
& absq; contradictione de nostro Messia,
qui est Christus IESVS, testimoniũ ferant.

# VATICINIA DE CHRISTO.

DOC.

Ad nihil ego sum promptior. Geneseos
tertio habetur de semine Euæ, quod serpẽtis
caput esset contriturum. Semen hoc, est

CHRISTVS Mariæ filius. Serpens, eſt diabolus. Geneſ.22. ait Dominus ad Abraham: In ſemine tuo omnes in terra gentes benedicentur. Hoc ſemen Abrahæ, eſt Chriſtus filius hominis, ex interpretatione S. Pauli Gal.3. Geneſ.49 agitur de SILOH, qui venturus eſſet quandò iam reges ſtemmatis Iudaici finem haberent. Iſte SILOH eſt noſter Chriſtus, quoniam ipſe pacificus, manſuetus, ac ſalutaris ad nos cum ſuperabundanti diuiteq; benedictiõe vénit. Nam eiuſmodi cuncta, vox Hebraica SILOH fert ſecum. Plerique Rabinorum teſtantur vltrò, hunc SILOH Meſſiã eſſe. Iſtum locũ Origenes inprimìs de Chriſto Nazareno exponit, contra Celſum Lib.1. Exodi 12. legit de agno Paſchali, qui Chriſtum deſignat, iuxta expoſitionem Ioãnis 19. Exod.17. agitur de petra, quam Moſes virga percuſſit, vt aqua indè ꝓdiret. Hæc petra erat Chriſtus, 1. Corin.10. Numerorum 21. dicitur de ſerpente æreo, in furcam leuato. Hic ſerpens ęneus, ſignificat noſtrum Chriſtum, in cruce ꝓpter noſtram ſalutem exaltatum, Ioan.3.

Deuteronomij 18. ait Moſes: Prophetam vnū ſicutì me ſuſcitabit tibi Dominus DEVS tuus &c. Hic propheta eſt Chriſtus, iuxta interpretationē ſancti Stephani Act. 7. Et hęc ſunt ex Lege. Iam ſumamus ex prophetis. Pſalmo 2. vaticinatū eſt de conſilio & tyrānide Iudęorum aduerſùs Chriſtum, ex interpretatione Apoſtolorum Act. 4. Et in eodem Pſalmo de Chriſti deitate & clarificatione, ſecundùm expoſitionem ſancti Pauli Act. 13. & Heb. 1. Pſalmo 8. ꝓphetatum eſt, quomodò Chriſtus aliquandiù aliquāto minor eſſet angelis, quod tempore crucifixionis accidebat. De hoc vide caput epiſtolæ ad Hebræos ſecūdum. Pſalmo 15. propheticè dicitur de Chriſti morte & reſurrectione, iuxta expoſitionem ſancti Petri Act. 2. Pſalmo 21. ꝓphetizatur, quomodò Chriſtus noſtra ſalus paſſurus eſſet, ità manifeſtè, vt ibì ſtet etiam, quemadmodùm ei ſuæ manus ac pedes perforandi eſſent, &c. ſicutì & iuxta Euangeliſtarū omnium aſſertionem eſt factum. Pſalmo 44. ꝓphetatur de Chriſti regio ſempiternoque

throno ac sceptro, iuxta expositionem Pauli Heb.1. Psalmo 67. vaticinatur de Christi ascẽsione, ex interpretatiõe Pauli Ephe. 4. Psalmo 68. propheticè narratur, quòd Christus zelum domûs DEI habiturus esset, iuxta expositiõem Ioan. 2. præterquàm quòd ibidèm obitèr etiam de illius agitur passione. Psalmo 71. propheticè nunciat, quomodò reges Tharsis, Arabum & Saba, nostro Domino munera offerrent, sicutì & factum est Matt. 2. Psalmo 96. enunciat, quòd & angeli Christum adoraturi essét, ex assertiõe Pauli Heb. 1. Psalmo 109. prophetat de Christi deitate & sacerdotio, iuxta elucidatiõem Matt. 22. & Heb. 7. Psalmo 117. propheticè dicitur, quomodò Christus à Iudęis reprobandus esset, ex interpretatione Mat. 21. Esaias cap. 7. prophetizat de conceptione Domini nostri IESV Christi: Eccè, inquiens, virgo pręgnãs erit, & pariet filium, & nomen eius Emanuel vocabitur. Idem Esaias cap. 9. vaticinatur latiùs de Christi generatione ad hũc modum: Puer natus est nobis, filius dat⁹ est nobis, cui-

us imperium ſuper humerum eius erit &c. Idq́ue omne ſecundùm adimpletionẽ Mat. 1.Lucæq́; 1. Ibidèm cap.11.de origine Chriſti iuxta carnem: Egredietur virga de radice Iſai &c. ſecundùm elucidationem Pauli 2.Theſ.2.& Rom.15. Eſaię cap.28.prophetatur de lapide angulari, qui eſt Chriſtus, ex elucidatione ſancti Pauli Ro.9. ſanctique Petri 1.cap.2. Eſaię cap.35. prophetizãt de Chriſti miraculis ac ſignis, ex deſcriptione Euangeliſtarum omnium, præcipuè verò Matt.11. Eſaiæ cap.40.prophetatur, quemadmodùm Dominus & eius p̃curſor venturus eſſet, ex impletione Marci 1. Lucæque 1. Eſaiæ cap.42.prædicuntur Chriſti geſta, ex interpretatione Mat. XII.

Eſaię 45.prędicitur Maieſtàs Chriſti, ante quem omnia ſe genua flexura eſſent, iuxta expoſitionem Pauli Phil.1. Eſaię cap. 49. prænunciatur de tempore gratiæ & hęreditate Chriſti, ex interpretatione S. Pauli 2.Cor.6. Eſaiæ 50.prænunciatur de paſſione noſtri Saluatoris Chriſti, iuxta deſcriptionem Euangeliſtarum omnium. Eſaię

53.

53.omninò adamuſsim prædicitur,q̃ patiẽter,quantumque Dominus noſter Meſſias paſſurus pro nobis eſſet,ex interpretatione Mat.8, 1.Pet.2. Act.8. Luc.22. Eſaiæ 61. prenunciatur de Chriſti in hoc Mundo diſpẽſatione,ex interpretatiõe Luc.4. Hieremias cap.23. vaticinatur de Chriſto Dauidis filio,quòd ipſe,vtì rex ſapiens,regnaturus eſſet,cuius nomẽ foret,Dominus Iuſtitia Noſtra. quæ verba & cap.33.repetuntur. Ezechiel cap.34. propheticè ait de Chriſto verba hæc: Suſcitare volo eis paſtorem vnicum,qui paſcat eos,nempe Dauidẽ ſeruum meum &c. De eodem loquit idem & cap.37. Daniel cap.7.prophetizat de vltimo Chriſti aduentu,quo in loco de antiquo Iudice verba facit. Et omninò ſignanter prophetat idem cap.9.de tempore in quo CHRISTVS eſſet occidendus.

Hoſeas vaticinatur de Chriſto capit.3. quomodò ipſum Iſraelitę quęſituri eſſent. nominatque ipſum, regem Dauid, vtì ſuprà & Ezechiel.quod de Dauide Ieſſę filio intelligi non poteſt. Ibidèm cap.11.tãgitur

eiusdem nostri regis ex Aegypto in Iudæã reductio, ex interpretatiõe Mat. 2. Cap. 13. prophetat Hoseas de Christi morte, quòd per eam Mors occidenda esset, iuxta expositionem Pauli 1. Co. 15. Heb. 2. Iocl prophetizat de Christo, quemadmodùm ille filijs Sion vtì Doctor iustitiæ donãdus esset, cap. 2. Amos vaticinatur de Christi & Apostolorum eius operatione, ex interpretatione Iacobi Act. 15. Ionas propheticã mortis & sepulturę IESV Christi figuram habet, ex interpretatione Matt. 12. Micheas propheticè loquitur de nostri amabilis Domini loco natali, cap. 5. ex impletione Mat. 2. Zacharias cap. 9. vaticinatur de Christi in Hierusalem aduentu, iuxta expositionem Mat. 21. Et cap. 12. de passione eius, ex interpretatione Ioan. 19. Capitéque XI. prophetat etiam de nostri Domini passione, quomodò ille à Iuda scelerato propter pecuniam tradendus esset, ex interpretatione Matt. 27. quãquàm eo loci, nescio cur, Hieremias appellatur. Cap. 13. rursùm de passione eius, ex interpretatione Matt.
26.

26. Malachias etiã vaticinatur de Christi aduentu, ex interpretatione Mar. 1. Luc. 7. &c. Potes iam tibi vniuersa loca ista in Prophetis p temetipsum indagare & legere, quanuis eorum sint plura. Verùm hæc sunt præcipua, & quę suum in NOVO TEstamento testimonium habent.

## NOVVM TESTAMENTVM.

DIS.

Iam superesset quidẽ, vt me loca aliquot scripturę ex sacris Biblijs, quæ fidem IESV Christi paritèr & Christianam vitam indicent ac iubeant, doceres: ità demùm Vetus Testamentum haberem omninò. Sed & alibì id facere nôsti, & facturum te certò scio. Iam duc me in notitiam Testamenti NOVI. Dic mihi simplicissimum quodque de rebus. Cætera enim ex concionibus de die in diem facilè vt discam, spero.

DOC.

Im-

Immò liberum ſit tibi,quemadmodùm hactenùs feciſti, vndè primùm inſtitui velis,indicare.

DIS.

Quot anni cõputantur iam indè à Mundi creatione,vſque ad noſtri Domini natiuitatem?

DOC.

Non reſpondeo libenter ad numerorũ quæſtiones,cùm ipſimet etiam chronographi diſcorditer adeò numeros aſſignent. Mihi verò proximum videtur,ſi numerentur quatuor annorum millia præter annos ſexaginta. Iuxta quorundam numeros, eſſent modò (intellige annum CHRISTI nati M.D.XL.)* 4091. Tam diù ſtetit Mundus,antequàm DEVS fieret homo.

DIS.

Quandò id autem factum?

DOC.

Hoc tibi certiùs oſtendere non valeo,q̃ iuxta Romani Imperij tempus,quod nõ ità dudùm ante Domini natiuitatem cœpit, nempe in C. Iulio primo Imperatore. Facioq;

cioque istud sancti Lucæ exemplo. Itaque tum Dominus natus est de MARIA virgine ἀπάτως, id est, sinè patre, cùm iam Octauius Augustus Romæ vigintiquatuor annos imperâsset, magnusque Herodes & Cyrinus regionem Iudaicam gubernarēt, quæ tunc temporis Romanę potestati subdita erat, perindè àc regiones alię vniuersæ.

DIS.

Vbì natus est ipse, & quem in modum?

DOC.

In Iudaico oppidulo, Bethleem dicto. Nam illic, & nusquàm alibì, eũ nasci oportuit, quum per Micheam hoc ità prophetatum esset. Natus est autem in magna paupertate & miseria, inter homines alienos, q hanc sanctissimam natiuitatem nihili æstimarēt. Ibì adfuit Ioseph, sponsus immaculatę Genitricis. statimque illuc opiliões aliquot, veraces testes, ex agris venerunt. Et hanc natiuitatem Angeli, annunciando ac laudem dicendo, honorârunt. Tunc enim propheticarum scripturarum impletio cœpit. Octauo die paruulus iuxta Mosaicam

legem eſt circũciſus. Poſt ſex hebdomadas Hieruſalem in templum à MATRE eſt iuxta conſuetudinem deportatus. Illic adfuerũt frugi homines Simeon & Anna. His peractis, ſunt MARIA & Ioſeph cũ puerulo domum, videlicet Nazareth in Galilæam, vbi primũ ei Gabriel nuncium attulerat, reuerſi. Non ità multò pòſt rurſùm peregrinari eos oportuit, & ab Herode in Aegyptũ fugere: ſiquidem ille puerorum trucidator quærebat paruulum IESVM ad perdẽdum, ſcilicet vt ipſe in Iudæa rex permaneret. Cęterùm mortuo Herode, reueniebant ipſi, paruulumque in Nazareth educabant. Iam verò cùm puer duodecim annorum eſſet, demonſtrauit indicijs aliquot ſuam occultam DEITATEM, nempe intelligẽtia & reſponſione inter ſummos illos DOCTORES Hieroſolymitanos. Et tantum hac vice de pueritia IESV CHRISTI.

DIS.

Quandò eſt ſuum Dominus ipſe officium exorſus?

DOC.

E quum

Quum esset annorum circitèr triginta, baptizari se in aqua Iordanis à Ioãne præcursore suo, teste & primario prędicatore, siuit. Ibì adfuit Patris vox, & in corporali columbę specie Spiritussanctus. Tum verò malus ille furere contra eum incipere, eũq; per semetipsum inuadere: tentare eum sæpè, conficere autem nihil. Post hoc in apertum dabat sese CHRISTVS ipse, aduocans sibi discipulos, miseros ac tenues homunciones: regionem Galilææ primùm hincindè perambulans, in synagogis docẽs, Euangelium regni annunciãs. Verùm bonis tantùm verbis insistere sat ei non erat, sed huc bona etiam opera addebat, omnigenasque infirmitates ac defectus in populo sanabat.

DIS.

De omnibus quæ IESVS fecit paritèr & docuit, meus me paroch⁹ sensim est instructurus. Nũc mihi enarra, obsecro, qua tandèm occasiõe in mortẽ pro me deueniret.

DOC.

IESVS, omnium rerum Dominus, ità vitam suam gerebat, vt immortalitate, etiã

in

in corpore, dignus esse potuisset. Tamen quoniam id paterni ab ęterno cõsilij esset, humanæque salutis necessitas id exigeret, sponte ad mortem crucis ibat, ignominiam portabat, vitamque suam à se ponebat. Ad hoc opus, Pharisæorũ qui hostes eius erãt, consilium, suique amici Iudæ proditioné, vsui esse permisit.

DIS.

Quoto est ipse ætatis suæ anno in cruce mortuus?

DOC.

DEI ac Dauidis filius nostra salus, suã innocentis mortem pertulit, dum iuxta humanitatem, trigintatrium annorum, triũq; mensium esset: quod tẽpus in decimũoctauum imperij Tiberij, Augustum secuti, annum incidebat. Erat ea vice præses Iudææ Pontius Pilatus, sicuti ante eum Syrię Cyrinus. Iam quî passio sit peracta, item de lęta resurrectione, apparitiõibus, & ascẽsione, ex Euãgelistis aliâs facilè audis.

DIS.

Quid fructûs indè prouenichat? quidve

ex hoc tandèm fiebat? DOC.

Cùm Deus suum obedietem Filiũ rursùs in cælum assumpsisset, mittebat eius in locum, sicutì promiserat Filius, Spiritũsanctum super Apostolos & alios discipulos in Hierusalem congregatos. Per eum eruditi roboratique sunt ad testimonium Domino IESV prædicatiõibus ac miraculis in mundo perhibendum. Atque id opus effecit, vt initiò magnæ Iudæorũ copiæ ad obedientiam Euangelij venirent. Super hoc Apostolorum fundamẽtum Ecclesia Christi, vt inciperetur, ædificabatur.

DIS.

Quibus vocãtur Apostoli nominibus? & quonàm ex Iudæa venêre?

DOC.

Duodecim Apostoli seu Legati Christi, quos in Galilæa elegerat, fuerũt hi: Petrus, Andreas, Iacobus Zebedæi, Ioannes, Philippus, Bartholomæus, Thomas, Matthæus, Iacobus Alphæi, Iudas Thadæ', Simon, Matthias: tametsi is posteà in traditoris locum est suffectus. item Paulus ijs mirabili-

ter poſtmodùm adiũctus. Per hos viros mira, immò quæ mirari ſatìs non queunt, Spiritusſanctus eſt operatus, primùm in ipſorum patria: pòſt, ex Domini mandato, exiuerunt in om̃em terram, annunciantes vbiquè Euangelium omni creaturæ, principiò vniuerſi in Iudæa & Samaria: deindè alius in Parthia, Media, Perſide, India: alius in Macedonia & Aethiopia: alius in Lycaonia: alius in Achaia & Scythia: aliꝰ in Aſia: alius in Ponto, Galatia, Bithynia, Capadocia, Italia: alius in Hiſpania: alius in Meſopotamia aut Seleucia: alius in Aegypto: alius in Gallia: alius in Illyrico &c. O quantum gaudium, quanta vtilitas iſtis & alijs regionibus per annũciationem bonam, quam hi Legati nomine Chriſti IESV eis attulerũt, ac, nõ ſinè perſecutione, ſtabilierunt, obuénit?

DIS.

Quid demùm negocij duobus ac ſeptuaginta Domini diſcipulis fuit?

DOC.

Eos habebat ille, vt in Euangelio aſſeritur, & vſurpabat ante ſimùl & poſt mortẽ

ſuam, ad prædicandum ac miracula facienda. Eorum nomina ſanctus Hieronym⁹ narrat. Pręter hos multi alij ſancti homines cũ IESV circumiêrunt, veluti mulieres aliquot è Galilæa, Lazarus, Maria, Ioſeph Arimathienſis, Nathanaël, Nicodemus, Gamaliel &c. Multa millia tunc temporis in Chriſto ſunt regenerata, regnumq́ue cælorum itidèm in terra exortum cepit.

DIS.

Quandiù in orbe terrarum Apoſtoli vixêre?

DOC.

Certò ac propriè eiuſmodi non ſciuntur. Plerique autẽ vni, duobus, aut ſex alioquì Cęſaribus ſuperuixerũt, quod tempus in Imperio vniuersìm conficit annos XL. Paulus Apoſtolatum plùs quàm XXX. annos geſſiſſe fertur; Ioannem aiunt vltra LX. annos geſſiſſe: is enim Traiano ſuperuixit, qui cẽteſimo poſt Domini natiuitatem anno imperare cœpit.

DIS.

Quid Principes & Reges ad hoc, quòd ſic noua in Mundo fides exurgeret, dicebant?

DOC.

DOC.

Sicutì Dominus anteà dixerat, calamitatis ac miseriç abũdè multùm insurgebat. Christianum sanguinem fundere primùm cœptabant Iudæi: dein idem faciebãt etiam Gẽtiles, prçsertim Romç. Cçterùm annunciatio Euangelij ob id non omittebat: DEVS enim plus est quàm Mundus. Ac nihilo minùs interim Ecclesiæ seu Collectiones Christianç, vndiquè per mortes pœnasque constabiliebantur.

DIS.

Quis Apostolorum prçdicationis scopus aut caput erat?

DOC.

Apostoli prçdicabant vel inter Iudços, vel inter Ethnicos. Cùm prçdicarent Iudçis, efferebant Christum aduersus ipsorum Mosaicç Legis Doctores & cæremõias: Cùm prædicarent Ethnicis, extollebãt Christum contra idololatricam eorum stultitiam, diabolique cultum.

DIS.

Ità iam ferè habeo, quicquid initiò sci-

re me oportet, vt in hac fide, quam in Domino suscepi, certificer & confirmer. Nunquàm aliâs vlla super terram ampliùs ventura fides? DOC.

Quemadmodùm nullus aliâs veniet ampliùs CHRISTVS, ità nulla etiam ampliùs fides. Hæc est postrema. Et post Euangelium hoc, in quo nouum DEI fœdus annunciatur, nil sequitur nisi consummatio Mundi. Eapropter huic tutò committere te potes: manet enim hæc, quandiù vnum DEVS in terra diem habet.

DIS.

Quot habet Nouum Testamentũ libros?

DOC.

Noui Testaméti proprietas in dicendo magìs, quàm in scribendo, consistit. Atque ideò paucos libellos habet, népe in vniuersum septem & viginti. Horum aliquot scri pserunt quatuor Euangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes: & Paulus, qui horum libellorum quatuordecim solus conscripsit, epistolasque nominauit, quòd ipsa rum aliquot ad magnas celebresq; suo tem

po

pore ciuitates, in quibus Christiani degerent, aliquot verò ad notos Fratres miserit. Petr' etiam horum aliquòt scripsit. iterũq; Ioannes & Lucas, itẽ Iaçobus & Iudas Thadęus.

DIS.

Qua loquela descripti sunt hi Libelli?

DOC.

Hæc Euangelica Biblia sunt vniuersìm ab Euangelistis paritèr & Apostolis initiò Græcè descripta, vtì Mosaica & Prophetica Biblia Hebraicè: quę duę principales linguę, valida Christianę fidei Ancora sunt in tanta impiorum verborum contrarięq; doctrinæ tempestate.

DIS.

Quem in tam lato Mundo successum habuit Ecclesia fidesq; Christi nõ ità pridèm cœpta, cùm iam Apostoli capita sua posuissent?

DOC.

Propter eorum mortem ipsa non peribat, cùm non super illorum personam, sed super illorum doctrinam & ordinationem ędificata staret. Semper viuere illi non poterant, verùm seminis sui multùm educârãt,

rant, doctos omninò sanctosque viros, quibus officium & baculum Ecclesiæ traderent, queadmodùm Paulus Mileti agebat. Ibi erat Timotheus, ibi Hierotheus, ibi Titus, ibi Archippus, ibi Crescẽs, ibi Linus, ibi Clemẽs, ibi Dionysius, ibi Ignatius, ibi Iustinus, ibi Polycarpus: talesque DEI viri multo plures. Ij nihil obmiserunt, donèc mouere linguas suas potuêre. Quid vel quindecim tantùm Episcopi Hierosolymitani hoc in negocio præstiterunt, qui omnes lineatim vnus post alterum, potentes erant ex circuncisione viri?

DIS.

Ibi maneat modò. Iã verò te rogo: concede mihi tres dies manere domi, vt vniuersas istas dissertiones reuoluere, mẽtiq; meæ insculpere queã. Tum deincèps te, mi præceptor, audire volo, maximè propter expositionem Fidei, Dominicæ Orationis, Decem Mandatorum &c. post quorum explanationem, inscitię meę plura inquirere necessum erit. DEVS tecum.

# SECVNDA PARS CATECHISMI.

## NOSTRA FIDES.

DOC.

Apoſtoli CHRISTI hunc habuêre morē, vt fidem in populo communiter primùm ædificarent. Accedētem enim ad DEVM, inprimìs credere oportet, Heb. 11. Cumq́ue fides totius myſterij diuini fundamentum, & ſemp anterior in acie eſſe velit: dignum eſt vt initiò fidem, nempe quid credere debeas, auſcultes. Nam ſequentia verba hæc, velut ore tuo proprio, coram me & Eccleſia & Mundo confitearis oportet. Vis hoc?

DIS.

Salutaria illa verba expecto, eaq́; apud me fidem habebūt. Nam DEVS me trahit, & Spiritusſancti in corde meo gratiā perſentiſco.

## CHRISTIANAE FIDEI ARTICVLVS PRIMVS.

Cre-

## Credo in DEVM patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ.

HAEC maxima omnium verba effatur os, eaq; cor penitùs sic dictat. Quomodò igitur cor dictat? Responsio: Sic, Credo, indubiè scio, certusque sum, quòd neque dij, neque deæ, verùm vnus tantùm sit DEVS, in omibus & per omnia. Est autem DEVS essentia seu Esse, absque initio, absque fine, simplex, absque omni cõmixtione, inuisibilis, incorporalis, ineffabilis, inscrutabilis, in quo neque factum quid, neque creaatum sit. Idem ille vnicus DEVS (reuerà credo) est non solùm meus DEVS, meusq; DOminus, verùm etiam meus cœlestis pater, de cuius ego sanguine per sanctam regenerationem sum natus, à quo paternè sum dilectus, vndè mihi in corpore & anima paternè est prospectũ. Idem ille vnicus meus DEVS, charusque (securè credo) pater, est omnipotens ex seipso, omnis rei potestatem habens, seruans & conseruans omnia, fortis, potens, & efficax, viuens adhuc & in æternum,

num,gubernans sapientia sua,suoque beneplacito,omne quod vsquàm est, visibile aut inuisibile,magnum aut paruũ, in omi sua rerum supernarum & infernarum dominatiōe.Idem ille vnicus meus DEVS, meus Pater & Rector (absque omni dubitatione credo) est, qui ex nihilo per Verbum in principio cælum & terram,maria & qcquid eis inest,creauit,non sibi, sed mihi in bonũ,vt ipsum per hæc agnoscerem & ho norarē.Ab hac me fide nullus mouerit diabolus,nullus tyrãnus, nullus philosoph⁹, magus nullus,lemures nulli.Et pręter hoc quod credo veraciter vnum tantummodò esse DEVM,etiam credo ei quicquid per se, aut per Angelos, Prophetas & Apostolos, est locutus.Neque id solùm,sed concredo etiam ei corpus & animam per omnia secula,eiusque misericordię in omni vita mea & morte confido.Illud ego credo ac fido: ipsum,quia DEVS est,custodire & dare posse:quia Pater est,idipsum libẽter facere velle:quia omipotens est,iamiam in opere esse.Ei seruio, velutì DEO meo. Eum hono-

ro, sicutì patrem meum. Ei obedio, tâquàm rectori meo.

Hic articulus per scripturam vtriusque testamenti asseueratur. Deut. 6. Audi Israel: Dominus DEVS noster, vnicus est Dominus. Et 1. Tim. 2. Vnus est DEVS pater. Mal. 2. Habemúsne vnum omnes patrem? Nõnè DEVS vnus creauit nos? Et Mat. 6. Et pater vester alit ea. Omnipotens. Genes. 17. Ego sum DEVS omnipotens. Et Apoc. 1. Ego sum Alpha & Ω, principium & finis, ait Dominus, qui est, & qui erat, & qui venturus est. Creator. Gen. 1. In principio creauit DEVS cælum & terram. Et Heb. 3. DEVS est qui omnia creauit.

## ARTICVLVS 2.

## Et in IESVM CHRISTVM filium eius vnicum, Dominum nostrum.

IIs verbis cor nostrum inflammatur: ipsa enim spiritus sunt & ignis. quid igitur sibi volũt? Hoc videlicet: Ego Christianus firmiter credo in filium DEI, qui est IESVS

CHRI

CHRISTVS, ex Patris corde ab æterno genitus, modo ineffabiliter altiori, quàm nos omnesque Angeli indagare valeamus. Credoque eum esse vnicum & vnigenitum filium præ omnibus participibus suis: esse eum essentialem, naturalem, sempiternum DEI filium, vnius essentię, vnius omnipotentię, vnius maiestatis, vnius animi, vnius voluntatis, vnarum virium, vnius ęternitatis, vnius sapientiæ, vnius bonitatis cum Patre & Spiritu sancto. Nos verò qui in eum credimus, adoptiui ex gratia filij ac filiæ DEI sumus, & in filij locum (quam dignitaté sanctus Paulus hyiothesian appellat) adsciti, per hunc vnicum filium sic DEO cognati ac iuncti, vt etiam nos non tantùm filij DEI nominemur, sed preterea hęredes DEI simus, velut cum vnico filio parem hæreditatem ac dominatióem post hanc vltimam relationem in cælo assequuturi. Credo quòd idem ille vnicus DEI filius, meus Rex & hæreditarius ADONAI (hoc est, essentialis DEVS & Dominus) sit pindè, àc Pa-

Hac in re nullum me Iudæum, nullum

Sar-

Sarracenum, nullum hæreticum impugnare ſino: verùm aduerſùs om̃es eorum humanas cõtradictiones, quaſi æneus murus conſiſto. Nã ſpiritus id mihi teſtatur, cuius teſtimonium apud me habeo, vltra DEI mentiri neſcientis verbum, tamque innumerabiliter multa mirabilia ſigna. Mihi nulla dubitatio eſt, quin ipſe meus ſit IESVS, hoc eſt, meus Saluator: meusq; CHRISTVS, hoc eſt, meus vnctus Sacerdos atque REX, verus & vnicus MESSIAS. Ei me ſubijcio cũ om̃ibus creaturis, quæ vniuerſæ eius ſunt pedibus ſubiectæ: Eum audio, quoniam ipſe dilectus Patris filius eſt: noſcoque huius boni Paſtoris vocẽ: Ei me ſociũ exhibeo, quoniam ipſe meus Dominus eſt.

Hic Articulus per vtriuſque Teſtamenti ſcripturam aſſeritur. In veteri. Filius. Geneſeos primo: Dixit DEVS &c. HOC ipſum dicere, ſiue loqui, ſiue proloquium, Filius eſt, ex altiſſima mente, ante creationem omniaq; ſecula, ineffabiliter incomprehenſibiliterque natus. Pſalmo 2. loquitur DEVS Pater ad Filium: Filius meus es tu, ego

ho-

hodiè genui te. Domin⁹, Hieremiæ 23. Hoc est nomen quo nominabunt eũ, Dominus Iustus Noster. Christus seu Vnctus. Esaiæ LXI. Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me. Nomen IESV, prefiguratum est anteà in duob⁹ Iosuis aut Iesuah, nempe in illo q immediat⁹ populi Israelitici post Mosen dux fuit, & in altero apud Haggeum. In Nouo Testamento. Filius. Matt. 3. & 17. loquitur DEVS Pater de Filio: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè cõplacui. Et cap. XVI. altissima Ecclesiæ de CHRISTO confessio: Tu es CHRISTVS Fili⁹ DEI viui. Rom. I. Christus prædestinatus est Fili⁹ DEI, in virtute secũdùm Spiritum sanctificationis. Dominus. Ioannis XX. Dominus meus & DEVS meus. I. Cor. 2. Dominũ gloriæ &c. Item Ioan. 10. Ego & Pater vnum sumus.

## ARTICVLVS III.

## Qui cõceptus est de Spiritusancto, natus ex MARIA virgine.

QVOMODÒ hęc verba intelligenda? Ad hunc modúm: Absque contradictióne credo, quòd vnigenit⁹ & hęres rerum omnium, per quem DEVS Mundum creauit, nempe IESVS Christus, Dominus meus, secundùm tempus ab ipso præstitutum, è cælo descenderit, ad quęrẽdum & liberandũ quod per Adam in terra perditũ erat: idq; ex mera ad humanum genus charitate. Sed cùm nos homines è potestate malorum spirituum liberaturus esset, eum priùs hominem fieri oportuit, quod Mysterium Primitiua Ecclesia sarcothesian appellat. Iam verò ad humanationem pertinent duo, videlicet conceptio & generatio: quæ duo (credo stabiliter) etiam in DEI Filio, iuxta consilium eius æternum sunt perfecta. Tantũmodò cõceptio est spiritualis, natiuitas verò carnalis. Illa est de cælo, hęc de terra. Vt pro certissimo teneam, vnigenitum DEI, meum Dominum, ex virtute & operatione Spiritussancti, iuxta Euangelicam Annunciationẽ, in vtero materno verè cõceptum, ac post nouem męnses veraciter hominem

in hoc MUNDO natum, & in sapientia, ætate & gratia apud DEVM & homines profecisse: eamq; cõceptionem & natiuitatem, mihi & meæ salutis causa, factam executamq; esse.

Hîc non quæro neq; scrutor latiùs conceptiõis huius modum: verùm satis est mihi, quòd fides mea appræhendat conceptionem hanc, sanctissimam, mirabilissimam, purissimamq; esse. Itaque nihil penitùs ambigo de certitudine huius sanctæ generationis, & de virginea genitricis MARIAE puritate. Nihil etiam dubito, quin hic MARIAE primogenitus, immò etiam postremogenitus, Dominus noster, suam carnem à Matre sibi acceperit: & quod eadem illa eius humanitas, vera certaque humanitas sit, omnigenis hominũ necessitatibus subiecta, ante reuelationẽ, tamen absq; peccato. Nullas me cogitatiões disturbare sino, quin diuina humanaq; natura simùl in vna persona substantialiter esse queãt: sed captiuas rapio cogitationes omnes, fideiq; meę subijcio, quæ istud sola intelligit ac tenet in verbo.

Hic Articulus teſtimonium in vtroque teſtamento habet. In veteri. Geneſ. 22. Abrahæ ſemen, iuxta declarationem Pauli Galat. 3. Eſaiæ 7. Eccè virgo pręgnans erit, & pariet filium. Pſalmo 131. ait DEVS Dauidi: Fructum ventris tui ponam ſuper ſedē tuam. In nouo. Ioan. 1. Et Verbum caro factum eſt. Luc. 1. ait Angelus ad MARIAM Domini matrem: Spiritusſanctus ſuperueniet in te. Matt. 1. Cōpertum eſt, MARIAM è Spirituſancto pręgnantem eſſe. Rom. 1. DEI filius, qui natus eſt ei ex ſemine Dauidis iuxta carnē. Mar. 9. Filius hominis tradet &c

## ARTICVLVS 4.

## Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.

IN prædictis credita atque agnita eſt natura Diuina in IESV Nazareno, qui eſt ſplendor gloriæ DEI, expreſſaq; eius ſubſtantiæ imago, Primogenitus inter omnes creaturas, in quo corporaliter inhabitat Diuinitas tota. Nunc humanę naturę proprietas tractari incipit: ea verò eſt, vt natū, mo

riaatur. Eapropter credo ex corde perfecto, eundem IESVM DEI viui Filium, Dominum meum, postquàm homo factus est, in Iudæa circumiuisse, beneficijs afficiendo & sanando cunctos à diabolo oppressos, edidisse magna opera, miracula & signa, potẽtem factis & verbis, vsque ad horam suam, dum ex præhabito cõsilio & prædestinatione DEI traditus, in ligno suspẽsus, & peccatorum manibus occisus est, quo tempore Pilatus è Ponto, eius regiõis pręses ac iudex erat. Hanc Filij in cruce mortem, ex bona voluntate susceptam, & in obediẽtia Patris consummatam, vt scripturæ implerentur, iuxta necessitatem & exigentiam generis humani, fortiter credo: neque offensione vlla afficior, quòd DEI filiũ mori oportuerit: grandis enim id mihi sapientia est, quantunuìs magna pro stultitia Gentilibus habitum & irrisum. Scio & fateor, in hoc crucifixo IESV nullam aut culpam, aut causam mortis repertam esse: nunquàm enim peccârat: sed ex odio principum Iudaicorũ traditum fuisse, tamen sub dispẽsatione sa-

pientiæ DEI, sic, vt illa morte, mors nostra deleretur: eiusque innocentia, nostra culpa tolleretur. In hac morte video meam vitã, meum gaudium, solatium, atque omnem libertatem. Hæc mors, mea salus est: hæc vulnera, meæ sunt animæ sanitas in æternum. Meus Dominus, meus Dominus, ꝑ me passus est omnifarias ignominias, irrisiones, blasphemias, & calamitates. Ipse cruci pro me affixus, ibidèm etiam pro me est mortuus. Posteà & propter me sepultus, secũdùm scripturas, vti verè mortuus homo. Huius mortui gratia & ego mori volo, dum eius nominis ac fidei honor exegerit, vt & ego ꝑ miserias, tribulationes ac passiones in eius gloriam, quemadmodùm ipse intrauit, intrare possim. Ego mihi persuaderi non sino, vllum vspiàm in cælo aut super terram, animam suam pro me positurum fuisse, nisi tãtummodò hunc omnium optimũ principalem pastorem. Hæc oblatio, mihi ad salutem obtinendam, facta est priusq̃ ego DEVM nouerim, antequàm ei vnquàm seruiêrim, boniue aliquid fecerim aut cogitârim.

O mortem hāc,in iſta miſeriarum valle maledicta ſpem meam.

Hic Articulus teſtimonium in vtroque teſtamento habet. In veteri. Pſalmo XXI. Foderūt manus meas & pedes, dinumerabam etiam oſſa mea. Eſai.53. Ob delicta noſtra vulneratus eſt ipſe. Danielis 9. Poſt hebdomadas ſexagitaduas Meſſias(ſiue Chriſtus)occidetur. In Nouo. Matt.16.prædixit Dominus, quemadmodùm Hieroſolymis multa ſibi patienda forent &c. Ioannis 19.ait Pontius Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Marci 15. IESVS clamans voce magna, expirauit. 1. Cor.15. Chriſtus mortuus eſt pro noſtris peccatis ſecundùm ſcripturas, ac ſepultus &c. Act.3. Principē vitę interfeciſtis. Rom.6. Chriſtus ampliùs non moritur.

## ARTICVLVS 5.

### Deſcendit ad inferna, tertia die reſurrexit à mortuis.

NVlla mihi de hoc dubitatio eſt, quòd meus liberator & ſalus, poſtquàm ſua

temporali breuique morte, mortem perpetuam destruxerat, non etiam infernum & mortis regnum disturbârit. Credo ego singularis potẽtiæ facinus esse, suffocare mortem, eiusque infernum euertisse. Quid em̃ valet mors, si infernus non est? aut quid potest infernus, si non est mors? Ipse ad infernum præceps descendit, non vt pœnas toleraret, sed vt alios è pœnis tolleret. Sicutì magnus aliquis dominus carcerem subindè quidem intrat, quemadmodùm alij malefactores: at non ideò, quòd ipse quasi culpabilis, ibidèm sit torquendus, verùm vt ligatos, ex eodem liberos reddat. Iam quid foret mors ac sepultura eius, nisi vita & resurrectio secuta fuisset? Multi reges & prophetę mortui quidem sunt ac sepulti, nondùm verò vllus resurrexit. Solus hic meus liberator, potestatem habuit animam suam à se ponendi, atque rursùs om̃ipotenter assumẽdi. Id ego liberè credo, cert⁹ insupèr, mihi & omnibus electis, per hanc omnium gloriosissimam, magnificentissimam, lętissimamque mei liberatoris resurrectionem,

excellentiſſimum æternæ ſalutis ac vitæ ſolatium datum iri. Ipſe mortuus eſt propter ſcelera mea,& reſurrexit propter iuſtificationem meî. Id abſque coactiõe credo. Ipſe quidem ſemèl mortuus eſt,nõ moritur verò ampliùs,ſed viuit ęternus,omnipotens, primitiæ dormientium factus, vt per hunc vnicum hominem,reſurrectio mortuorum proueniret. Id ego libenter credo.Ipſe mortuus eſt & reſurrexit,vt om̃ium viuentium Dominus eſſet.Indè me verbis mouerit nemo. Quî erat poſſibile, ꝙ is morte ac mortis doloribus retinendus fuiſſet? Efficacia reſurrectionis eius,efficacem me om̃ium facit,ſineque intermiſſione lætum reddit, vt nullis infidelium Ethnicorum conuicijs, q̃ huc obijciant,ſoliciter:multo minùs quorumpiam falſò credẽtium hæreticorum inſipientia,aduerſùs huius reſurrectionis veritatem. A mortuis reſurgere,tantundẽ eſt dicere: quãtum,Inter mortuos quidẽ computari,mortuumq́ue etiam,inſtàr aliorum, eſſe:cæterùm ipſos demùm relinquere, viuumq́ue indè abire.

Hic Articulus in testamento asseritur vtroque. In veteri. Psalmo †16. ait Dauid in Christi persona, iuxta sancti Petri expositionem: Caro mea iacebit securè; nõ enim relinques Animã meam in inferno, nec ades vt sanctus tuus corrũpatur. Figura. Ionas propheta iacuit tribus diebus ac tribus noctibus in ceto. Ad eundem modum debuit & Dominus noster tribus diebus tribusque noctibus iacere mortuus in terra. In Nouo. Ephe. 4. Christus primùm in inferiora terræ descendit. Item 1. Pet. 3. In spiritu venit, prædicauitque spiritibus in carcere &c. Et cap. 4. Euangelium etiam mortuis annũciatum est &c. Luc. 18, Tertia die resurget. Marc. 16. Surrexit, non est hîc. 2, Tim. 2, Memento IESVM Christum à mortuis resurrexisse &c. Act. 2. Hũc IESVM DEVS suscitauit: eius nos omnes sumus testes.

Quòd Infernus, ac pœna in eo, sit, Christiani omẽs credunt, exceptis ijs qui modò per nouum euangelion (kakangelion dicerem) ità penitùs rudes, bruti, infideles atq; impij sunt redditi; cui' rei culpa in arrogan

tes pseudeuangelistas redundat. Alioquì tales bruti homines, Ecclesiasticæ prędicationi fidem non habentes, deberent saltem, velut ethnici, Ethnicis fidem habere: inprimìs Socratico Platoni, ità scribenti: Mors vltimum nō est, sed extrema magìs sunt inferiorum supplicia: quæ licèt verissima narrent, auertere tamen eiusmodi animos nequeunt &c. Dialog. 9. de Legib. Et in epistola ad Dionis amicos, ait Plato de animarum immortalitate, ità dicens: Credendum est reuerà semper priscis sacrisque verbis, q̃ nobis enunciant immortalem esse animā, iudicesque habere, suppliciaque pati maxima, postquàm à corpore fuerit separata. Quid Virgilius Maro de pœnis inferni canat, vel pueri in scholis nôrunt. Item Ouidius lib. 4. Metamor. Sed & Lucian⁹ infernum artificiosè adeò ex Græcis poetis descripsit, tanquàm si ipsemet in eo fuisset. In libello de luctu. Fatetur Socrates infernū quidem esse, sed non vult poetas indè scribentes, legi, nè mors formidetur. Dialog. 3. de Repub, seu de iusto. Plinius ruditer ineptit,

ptit, vbì asserit, Inferos esse non posse: ratio, Metallarij aut subterranei fossores iam pridèm sub terra sanè offendissent atq; effodissent. Sic dementit etiam, vbì aduersùs resurrectionem agit. Quid verò est in Ethnicorum Scriptorũ libris tam vulgare, q̃, Ad Stygias vndas descendere, Ad Erebi ducẽ, Ad Acherõta, Ad generũ Cereris, Sub vmbras, Ad atram Plutonis abyssum &c? Philosophus ille Bion dicere solebat, nullã viam tam citò ac facilè inueniri posse, quàm via Inferni, reperiri enim vel à quouis, etiã vtrisque oculis clausis. Diogenes Laertius asserit, Heraclidem philosophũ Tragicè de negocijs ĩferni scripsisse. Similiter fecit Antisthenes Atheniẽsis. Talia Domicellus Epulo (Luc. 16.) cuiquam multo certiùs narraret. Post omnes Macrobius Aur. super Somnium Scipionis de Inferno multò plura scripsit, idque ex libris Platonis. Ibidèm autem Infernus, Ditis sedes vocatur. Refert quomodò veteres Ethnici indagârint, vbì quibúsve in oris Mundi, Infernus esset: & quemadmodùm pleriq; pœnas Inferni aliter

ter interpretati sint, quàm vulgaris opinio fuerit, videlicet de aquis infernalib⁹, Phlegethonte, Acherōte, Cocyto, &c. vt ijs affectus hominum, quos hîc in terris habuissent, designarent: & vultur, qui corda corrodit, malam conscientiam denotaret &c. Ait ibidèm & de campis Elysijs. Christiani sacras literas sibi certissimam veritatem esse sinant. Super hæc omnia legitur de philosopho Menedemo, qui vt mortalib⁹ Inferni metum incuteret, turpiter adeò se ornabat ac gerebat, quòd eo vel solùm adspe cto horruisses: atque in habitu eiusmodi ciuitates perambulans, asserebat, ex Inferno venisse se, visum quinam inter homines peccarent, vt hoc ipsum diabolis, cùm rursùs ad inferos descēdisset, deferret. Hęc Laertius. Ad vniuersa ista iam dicta, legitur etiam de philosopho Pythagora, quomodò is ad Infernum descēderit, & de Homeri Hesiodiq; animabus quæsiērit: viderítq; Homeri animam ex arbore pēdentem, multosq; serpentes in circuitu eius repentes, ꝓptereà quòd tam multa de dijs commētitia

ſcripſiſſet. Cęterùm Heſiodi animam ærecę columnæ alligatam, maleq́ue habitam &c. Scribitur etiam, quomodò poſteà quidam Ariſtophon dictus, ſimiliter ad Infernũ deſcenderit, & quòd is Pythagoricos mortuos ibidèm viderit, in q̃bus nihil mortis con ſpectum ſit: quippe qui ità penitùs fuerint, ac ſi nunquàm mortui fuiſſent. Summa: Qui Infernum eſſe non credit, ad Chriſtianorum numerum haud ſpectat.

## ARTICVLVS 6.

## Aſſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram DEI patris omnipotentis.

HOc ego tãta certitudine credo, quanta ſi meum liberatorem cum Apoſtolis in Oliuarum monte nubes aſſcẽdere, & deincèps cum ſancto Stephano, ſtare à dextris DEI, vidiſſem. Quis vellet aut poſſet digniùs in cælum aſſcendere, niſi is qui indè priùs deſcendiſſet? Hic triumphus perfectum reddit gaudium meum, aſſiduèq; cor meum cõfortat. Nullum mihi dubium eſt, quin ille corporaliter ad ſuum noſtrumq;

patrem aſſcenderit, videlicet cum glorificã to corpore, ibiq́ue ſedeat ità gubernans rex om̃ium regum, donèc ipſe regnum ſuo patri, nempe in ſeculi termino, ſit traditurus. Curioſas nullas habeo cogitationes, quomodò aſſcenderit, quomodóve ſedeat &c. verùm adſpicio ſcripturam, ſimpliciterq́ue credo, quouſquè talia non ſolùm ibi cernã & comperiam, ſed etiam in meipſo videam & pernoſcam. In his facinoribus agnoſco veram Chriſti Domini mei Deitatem, pręter alias tam multas inexpugnabiles demõſtrationes. Meaq́ue fides hæc eſt, quòd ſicutì ego poſthàc in meo ordine à mortuis reſurrecturus ſum, vtì Dominus meus, dormientium primitiæ: ità & in cælum aſſcenſurus ſum obuiàm ei in aëra, tamen in & cum eo, quaſi cum capite corporis membrorum: ibidemq; cum ipſo in æterna immortalitate dominaturus, dum alioquì fuerim compaſſus, patremq́ue cum ipſo honorârim. Iam verò quoniam ſuper omnes cælos aſſcendit, ſummeq; exaltatus eſt, in nomine eius genua mea flecto, quotidieq́uè

ipſum lingua mea confiteor, quòd ipſe IESVS Chriſtus Domin⁹ ſit, meuſq; apud Patrem Aduocatus. Illuc in neceſſitatibus clamo. Illuc ſenſus mei vergunt. Nam illic meum DEVM ac Dominũ habeo & ſcio. Illùc, hoc eſt, in cælum, meam veram patriam, ſuſpirijs tendo. Indè opem, ſolamen, & gratiam, quãdiù in hac miſera breuique ſum vita, præſtolor.

Hic Articulus teſtimonium in vtroque Teſtamento habet. In veteri. Pſalm. 68. Aſſcendiſti in altum, captiuitatemq; cepiſti. Hoc Dauid de noſtri Domini aſſcenſione vaticinatus eſt, iuxta ſancti Pauli expoſitionem Ephe. 4. Pſalmo (ſecũdùm Hebræos) 110. Dixit Dominus Domino (hoc eſt, Pater Filio) meo, Sede à dextris meis. ex ipſius CHRISTI inſinuatione Matt. 22. In Nouo Teſtamento. Ioan. 20. Aſſcẽdo ad Patrem meum & Patrem veſtrum. Act. 1. Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Ephe. 4. Aſſcendit ſuper omnes cælos. Luc. 23. Amodò erit filius hominis ſedens à dextris virtutis DEI. Coloſ. 3. Quæ ſurſùm ſunt q̃rite, vbi Chri-

ſtus

ſtus eſt in dextera DEI ſedens.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

# Indè venturus eſt iudicare viuos & mortuos.

QVemadmodùm in Articulo ſuperiori duo quędam credo, videlicet quò meus liberator ex hac tęrra venerit, & vbinàm modò ſit:ità & in hoc duo quædam credo, nempe quòd ſecundò in terram veniet, ꝙque viuos & mortuos iudicabit. Ego ſic eum reuerſurum credo, vtì ipſum in Iudæa Diſcipuli eius in cælum aſſcendentem viderunt: idque in Maieſtate Patris ſui cum ſuis Angelis ſanctis, in pacifica hilarique vocis Archangeli, tubæq; DEI, exhortatione. Quo autem tempore ſeu hora, non ſcio. Regium iſtum Aduentum crèdo nos Chriſtinos lætificaturum, quòd tunc noſtra perfecta liberatio, præſertìm à Morte nouiſſimo hoſte, ſit aduentura. Hic Domini mei potentiſſ. omnium aduētus, vniuerſo mundo finem adferet, omniaque ad cęleſtem ac

perpetuam lætitiã innouabit. Ab huiꝗs aduentûs expectatione, Antichristus ille perditionis filius, suis grãdiloquentijs, minis, tormentis, multis miraculis, maximoq; ad ipsum vulgi concursu, me nihil omninò est impediturus. In certũ hunc aduẽtum, identidemq; huc magis ac magis appropinquãtem, debeo voloq; me paratũ exhibere: & hoc studiosa lumborum succinctiõe, sedulis vigilijs, ardẽtibus lucernis, lampadib9q; benè instructis, in sancta conuersatione & DEI cultu, vt in eodem Domini mei die, irrepræhensibilis apud illum & in pace inueniar, neque coram ipso in eius aduẽtu confundar. Eapropter enim tũc veniet, vt vniuersos orbis terræ homines cõuocet & audiat, postremò autem sinè personarum respectu iudicet, vnicuiq; iuxta eius facta, siue bona, siue mala, redditurus: quoniã ipse constitutus est à Patre iudex viuorũ & mortuorum, hoc est, omnium hominum, siue qui tunc temporis adhuc viuent, siue q antcà sunt defuncti. Siquidem omnes qui in monumentis sunt, Domini vocem audiẽt,
in-

indeq; prodibūt. Benè ei in hora illa, qui su erit operatus in terra bonum.

Hic Articulus asseritur in testamento vtroq;. In veteri. Danielis 7. Tribunal positum est, & antiquus (dierū) sedit &c. Itē, Iudicium DEI sedit &c. Ac statìm postcà: Eccè quidam veniens in cæli nubibus tanquàm filius hominis, vsque ad antiquū (dierum) peruenit &c. Malac. 3. Eccè ipse venit, ait Dominus exercituum. Quis poterit diem aduentûs eius sustinere? Et quis poterit, apparente illo, stare? Cap. 4. Antequàm veniat dies Domini magna & horribilis &c. Quæ prophetę loca, de vtroq; CHRISTI aduentu intelligi queunt. In nouo. Mat. 25. Filius hominis veniet in maiestate sua, & omnes sancti Angeli cum eo: tūc sedebit super sedem &c. Ioan. 5. Pater omne iudiciū Filio dedit. 1. Pet. 4. Ipse paratus est iudicare viuos & mortuos.

## ARTICVLVS 8.

Credo in Spiritumsanctum.

HActenùs ego velutì Christianus professus sum meam coràm vnoquoque manifestè & singulatìm de Patris ac Filij p.sonis fidem, quocunquè & quomodocunquè me Apostolica Ecclesia per scripturam erudiuit. Iam profiteor etiam, me absque om̄i simulatione ac falsitate credere in tertiam personam, Spiritumsanctũ DEI: quandoquidem is adeò indiuisus siue indiminutus est à Patre & Filio, vt cum supradictis personis, æqualis in essentia sit DEVS, ab vtroque procedens, sic, vt hæ tres personæ vnus sint DEVS, vna Diuina proprietas ac natura. Hoc mihi nullum Iudęum, nullum hæreticum rapere sino: verùm seruo fidem hãc puram, quòd ea sola, recta sub cælo sit fides, in simplici sacræ scripturæ sensu compræhẽsa. Ego credo & scio, quòd sicut me DEVS per Filium suum à morte secunda redemit, ità me per suum Spiritum in verbo Euangelij ad suî agnitionem perduxit.
Is autem Spiritus lapideum inprimìs à me cor auferẽs, ac pro eiusmodi carneum reddens, omnes à me tenebrarum errores abe-

gits

git: lucemque veritatis donans, sensus meos aperuit, vt scripturas eius intelligam: fidemq; me docens, immò fidem cordi meo infundens, & eandem suo stabili testimonio conseruans, mentem meam innouauit: me per aquam sacri baptismatis ex se, hoc est, ex DEO, regenerauit: mihi diuina & cœlestia loqui præcepit: aures meas ad audiendum aperuit: charitatem DEI mihi infudit: mihi & omnibus Maioribus meis Christianam Religionem assumere persuasit: me sapientia & scientia dotauit, tribuẽs mihi vt DEVM timeam, intelligamque quòd ipse me in passionibus confortet ac stabiliat, in miserijs consoletur & exhilaret, ꝙque cor meum CHRISTO & eius fidei insigillet, ꝙq; ipse pignus meæ redemptionis existat, ꝙq; ipse in me ac per me, quidquid boni facio, operetur, fructumque CHRISTI fructificare faciat: ꝙque mihi robur habendæ in persequutionibus sufferentiæ & quietis concedat: ꝙque etiamnum me identidèm Christi veritatem doceat, atq; in ea suo interno testimonio confirmet. &c. Credo per effi-

cacem intùs agentem operationẽ Spiritusſanc̄ti omnia ad Chriſtum veniſſe, quæcunque ad eum venerunt: Mundumq́; per eum in cęlum transformari. Quod verò talia potest & conficit, id non creatura, verùm DEVS ſit oportet. Hic Spirit⁹ erat in Principio: hic Spiritus Patriarchas duxit, in Prophetis loquutus, & DEI opus in terra exequutus. Sãc̄tius ipſo nil eſſe poteſt, quòd ex ſemetipſo ſanc̄tus exiſtat, quòd ipſe omnem ſanc̄titatem (aio ego) contineat, & vndè ſanc̄titas omnis in omnes qui in Chriſto ſanc̄tificati ſunt, ſanc̄tificãtur, & ſanc̄tificabũtur, fluat. Ab hoc Spiritu vera ſpiritualitas prodit. Hic Spiritus in nobis ſe gignit, vndè & nos, eius nomen & ingenium referentes, ſpirituales reddimur, vnc̄ti oleo lętitię, vnuſquiſq; iuxta menſuram DEI.

Hic Articulus teſtimonium in Teſtamẽto vtroq; habet. *† Gen. 1. Spiritus DEI ferebatur ſuper aquas. Pſal. 50. Spiritum ſanc̄tũ tuum nè auferas à me. Eſaię 63. legis etiam DEI ſanc̄tum Spiritum nominatũ. In Nouo. Matth. 28. In nomine Patris, & Filij, & Spi-

Spiritussancti. Ioan.20. Accipite Spiritum sanctum. Luc.12. Spiritussanctus vos docebit. Eph.5. Spiritusancto repleti sitis. 1.Ioan.5. Tres sunt qui testimonium perhibent, Spiritus, & Aqua, & Sanguis.

## ARTICVLVS IX.

## Sanctam Ecclesiam catholicam. Sanctorum communionem.

Nisi hunc Articulum ex corde crederē, fides mea non esset plena: fieriq́; posset, quòd sensìm etiam de alijs Articulis ambigere cœptarem. Sæpè etenim satanas inq rit & pręoccupat hos, qui alioquì rectè credentes, punctulū hunc & eius virtutē cōtemnunt. Hinc fit quòd in veritate naufragium faciant, & ad alias contra sacrum hoc & æternum symbolum doctrinas ferātur: sicutì id quidem sæpenumerò factū est, hodieq́; etiam fit. Propterea credo atque scio, habuisse DEVM homines super terram, q eius amici summè chari fuerint, & cū eo in

fide & iustitia ambulârint, iam indè à creatione Mundi vsq; ad tempestatem Noę: & ab illo vsq; ad ętatem Mosis, & ab illo vsq; ad seculum Dauidis, & ab illo vsq; ad tempus Zorobabelis, & ab illo vsque ad lætam Domini nostri natiuitatē: vndè primò omnium perfectè & à nouo DEI timentium turma ordiri cœpit, atq; potēter est aucta: idq; in vniuerso terrarum orbe, per tam multa secula, multasq; hucusquè regiones. Ista fideliū & obediētium DEI multitudo, nuncupatur Ecclesia, pro qua IESVS, verus & vnicus Messias, DEI Filius, Dominus meus, Hierosolymis in cruce est mortuꝰ, vt eā sanctificaret: mundauitq; eam per aquę balneum in verbo, vt ipsam, Ecclesiā scilicet, sibimetipsi gloriosam exhiberet, nō habentem maculam aut rugam, aut tale quid, sed vt sancta & irrephensibilis foret. Hoc apud me certitudinem habet. Credo etiam quòd hęc Ecclesia seu fidelium multitudo & sanctà collectio, Christi corpus, sponsa, templum, aula, paradisus & omnia sit: & quòd ipse ei suæ dilectæ suum verbum & pabulū

ab initio per Spiritũ ſanctum dederit, detq́; adhuc: & quòd ipſe cum gratia illic adſit, anteq́; omnia curam illius tota fide & veritate gerat. Ad hoc etiam credo, Eccleſiam hãc in die Domini ſaluatum iri, poſtquàm ipſa capiti ſuo, eidem Domino, obediẽter obediêrit, eundem ſedulò imitata. Inſupèr credo, quòd omnes hęreticæ congregationes, hæc nunquàm fuerint, ſicutì nec modò ſunt: Quemadmodùm enim CHRISTVS indiuiſus eſt, ſic & eius corpus. Eccleſia eſt ἀπαϱάϐατος, non tanquàm ſynagoga, hoc eſt, mutare ſe neq̃ ſic, vt deſinat eſſe quod eſt, Eſſeq́; aliud ſortiatur. Ab hac me ſentẽtia verbis dimouerit nemo. Quæ autẽ vnica certaq́; Eccleſia ſit, aſſignant verba iſta, SANCTAM & CATHOLICAM. Nullę enim ſectæ coram DEO ſancta & catholica Eccleſia eſſe poſſunt, etiam ſi meros omninò angelos habeánt concionatores. Quæ recta & vera DEI ſit Eccleſia, dicat nobis Irenæus: Agnitio vera eſt Apoſtolorum doctrina, & antiquus Eccleſiæ ſtatus in vniuerſo Mundo & charactere corporis Chriſti, ſecundũ

ſucceſſiones Epiſcoporum, quibus illi eam in quocunque loco eſt Eccleſia, tradiderunt, quæ peruénit vſque ad nos, cuſtodita ſine fictiõe ſcripturarum &c. Vide reliqua lib. 4. cap. 63. Hic Irenæus tam vetuſtus ſcriptor eſt, vt dicat libr. 3. cap. 3. ſe in pueritia ſua Polycarpum, qui Apoſtolorum diſcipulus fuit, vidiſſe. Etiam Romanæ Eccleſiæ mẽtionem facit ibidèm ad hunc modũ: Maximæ & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duob⁹ Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & adnũciatam hominibus fidẽ, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos &c. De Romana illa antiqua Eccleſia, lege etiã Tertullianum contra Marcionem. Niſi hunc Articulum crederem, viuere Chriſtum non crederẽ. Nam ſi Chriſtus eſt caput, & Eccleſia corpus: nulla capitis vita eſſe poteſt, dum vel ſinè corpore eſt, vel à corpore abruptum. Qui verò Chriſtum viuere nõ credit, is totam fidem abnegauit, nihilque omninò credit. Adeò

tota fides ex hoc Articulo dependet. Quàm verè Christus est, tam verè & Ecclesia est. Quid esset acquisitio CHRISTI & lucrũ, magna Crucis pœna consecutum, si nulla esset Ecclesia? Hæc est cœlestis illa Hierusalem, recta πανήγυρις (aut cõuentus) multorum millium Angelorum, multorumq; millium hominum sanctorũ in cœlo atq; in terra, herì & hodiè & semper. Quòd hæc autem Ecclesia, DEI & vnica sit, nõ ego tantùm credo, verùm in ea sum etiã particeps sanctorum omnium, maneoq; in eius fidei puritate, salutẽ & optimũ ei optando.

Hic Articulus asseritur in Testamento vtroq;. † Gen. 22. In semine tuo benedicẽtur omnes gentes terræ. Semen hoc CHRISTVS est, sicutì gentes istæ, omnigenæ in Mundo collectiones, Ecclesia sunt Christiana. Exo. 19. Eritis mihi in peculiarem præ cunctis gentibus populum: meus est enim orbis terræ vniuersus. Eritisq; mihi sacerdotale regnum & populus sanctus. Ista DEI verba, ad Christianam Ecclesiam prolata sunt, iuxta sancti Petri interpretationem.

Psal.

Psal, 143, Beatus populus ille, cuius DEVS, Dominus est. Esaiæ 62, Nominabuntur populus sanctus. In nouo, Mat, 16, Super hāc petram ædificabo Ecclesiam meam, 1, Tim, 3, In domo DEI, quę est Ecclesia DEI viui, columna & firmamentum veritatis. Actor, 20. Spiritus sanct⁹ posuit vos episcopos pascere Ecclesiā DEI, quam suo proprio sanguine acquisiuit,

## ARTICVLVS X,

## Remissionem peccatorum,

CVR hoc ego non crederem? Si credo mortuum pro nostris peccatis Dominum, etiam credo peccata posse ac debere, ante simùl & post baptismum, remitti. Quàm verè autē credo peccata in terris dimitti, tam verè etiam credo condonari illa nemini, nisi his q in Ecclesia sunt, hoc est, qui corpori Christi tanquàm membra sunt insiti, in vnitate spiritûs & in vinculo pacis, aduersùs omnem mundi & sectarum irruptionem, inseparabiliter perseuerantes.

Por-

Porrò, quàm verè credo peccata nusquàm nisi in Christiana Ecclesia dimitti, tam verè credo etiã, nemini in ea, nisi ijs qui pœnitentiam agunt, ignosci: nam peccata impossibile est absque pœnitentia condonari. Eapropter credo in hoc Articulo paritèr & baptisma sacrum, & pœnitentiam sacram, cùm duo hæc Sacramẽta ad peccatorum remissionem pertineant, absque omni recentium hæreticorum cõtradictione: sicutì etiam credo omnigena peccata, exceptis illis in Spiritum sanctum, pœnitentibus remitti, etiam post primam condonationem in baptismo factam: idq; firmiter credo aduersùs omnes veterum hæreticorum contradictiones.

Hic Articulus in vtrisque asseritur testamentis. In veteri. Psal. 84. Remisisti iniquitatem plebi tuæ, & omnia eius peccata operuisti. Esaię 1. Etiãsi fuerint peccata vestra quasi rubrum licium, adhuc tamen velutì nix dealbabuntur. Et cap. 53. Ipse multorũ peccata supèr se assumpsit. Hieremiæ 31. Peccatorum eorum non recordabor am-

pli-

pliùs. In NOVO. Luc.24.Sub nomine meo, ait noster Redemptor, prædicabitur pœnitentia & remissio peccatórum inter omnes gentes. Ioan.20.Quibus vos peccata remiseritis,illis sunt hæc dimissa: & quibus vos ea detinueritis,illis sunt eadẽ detenta.Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque in nomen IESV Christi,in remissionem peccatorum. 1.Ioã.2.Si peccata nostra confiteamur, fidelis est DEVS ac iustus, vt nostra nobis peccata dimittat.

## ARTICVLVS XI.

## Carnis resurrectionem.

QVàM certus sum, Redemptorem meũ à mortuis resurrexisse vtì caput, tam certus sum,iustos omnes in extremo die à mortuis resurrecturos vtì corpus, quod cũ suo capite CHRISTÓ, sancta catholica Ecclesia est in hac & illa vita. Credo etiam,sineq; dubio scio,non tantùm iustes,verùm iniustos etiã resurrecturos:id enim vult dictio illa,CARNIS. Aures meas & cogitatio-

nes

nes omnibus veterum hæreticorum, qui dicebant nullam fore mortuorum resurrectionem, somnijs occludo: omnes etiam philosophicas assertiones, quæ cõtra hoc à plerisq; productæ sunt, & adhuc produci queunt, contemno. Mea immobilis fides est, omnipotentiam DEI, mortua, dispersa, & in nihilum redacta corpora, ex terra, aqua & igne rursùm comportare & viuificare posse, qui in principio cæli & terræ, hominem, cùm nihil esset, è terra quiuerit creare. Noua iterùm corpora DEVS non creabit, sed hæc nostra (manemus em̃ homines) glorificabit, hoc est, cælestia & immortalia facta, è sepulcris exuscitabit, sic, vt futuri simus quod modò Angeli sunt, qui nulla humana oportunitate laborant, nulli vspiàm casui subiecti, ac suprà in cælum rapti, cum ineffabili gaudio ac iubilo, Redemptori nostro obuiàm, volabimus vtì columbæ in fenestras suas. Immò hæc est non solùm mea fides, verùm etiam mea summa consolatio, lætitia, optioq́ue. Agricola nõ tantùm serere, sed & metere debet. Quid esset Eccle-

ſia cum ſuis concionibus, Sacramentis, cultibus diuinis, ſanctis conuerſationibus & cruce, ſi credita iſthęc reſurrectio, poſthàc reuerà nõ ſequeretur? Chriſtus IESVS eſt reſurrectio mea & vita, hîc in anima, illic in corpore ſimùl & anima. Hui' fidei tam plenus & certus ſum, quàm plenus certusque ſum, eundem IESVM Chriſtum eſſe & DEI vnigenitum, & meum redemptorem.

Hic articulus affirmatur in teſtamentis vtriſque. In veteri. Exod. 3. DEVS Abraham, DEVS Iſaac, DEVS Iacob. Quæ verba Dominus ipſe exponit ità: DEVS autem non eſt DEVS mortuorum, ſed DEVS viuorum. Iob cap. 19. Scio quòd redemptor meus viuit, & ipſe me de terra in nouiſſimo die reſuſcitabit. Et deincèps pelle mea circundabor, & in carne mea DEVM videbo. Dan. 12. Et multi qui in terra dormiũt, euigilabũt: alij in vitam æternam, alij in opprobrium ac damnum. Ezec. 37. ait Dominus ad mortua oſſa: Eccè ego mittam in vos ſpiritum, vt reuiuiſcatis: & circundabo vos venis, & carnẽ circùm vos oriri ſinam, cu-

temq;

temq; vobis circunducam &c. In Nouo. Matt. 22. ait Dominus contra Sadducæos: Erratis, neque ſcripturam, neque DEI virtutem ſcientes. In reſurrectione autem erũt velut Angeli DEI in cælo. 1. Cor. 15. Quemadmodùm in Adam omnes moriuntur, ità & in CHRISTO omẽs viuificabuntur. Item: Seminatur (corpus in ſepulcro) corruptibile, & incorruptibile reſurget. Itẽ: Tuba canet, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. 1. Theſſ. 4. Si credim' quòd IESVS mortuus eſt & reſurrexit, ità & DEVS eos qui dormiêrunt per IESVM, adducet cũ eo. 2. Tim. 2. Hymenęus & Philetus à veritate exciderunt, dicẽtes reſurrectionem eſſe iam factam, & ſubuerterũt quorundam fidem.

## ARTICVLVS xij.

### Et vitam æternam.

HANC eo certiùs credo, quo magìs neceſſariè reſurrectiõem, velut promiſſa ingẽs merces, cæleſtisq; hæreditas, ſequatur oportet. Atque ideò non ſolùm credo,

noſtram perpetuam vitam ac lætitiam deinceps inchoandam, ſed eandem deſiderio vehementi etiam ſpero & expecto. Breuis hęc vita non tantùm eſt temporalis, verùm etiam calamitoſa: MORI igitur, noſtrum eſt lucrum. Illam vitam per fidem quaſi in ſpeculo videmus: cęterùm poſt reſurrectiōem manibus prendemus, viſuri atque hilariter poſſeſſuri, quicquid hîc credimus ac ſperamus. DEVM perfectè quidem priùs nôſſe non quiuerim⁹, quàm ſi coràm ipſum oculis intueamur. Hinc Dominus ipſe, q̄d ſempiterna vita ſit, definiens, ait eſſe Trinitatis ſanctæ notionem. Nam quod hîc de DEO nouimus ac ſcimus, mendicitas eſt prę his quæ ſunt futura. Gaudete vos Chriſtiani, qui cum CHRISTO paſſionibus hîc ſubiacetis: ibì cum ipſo dominaturi eſtis, Deusq́ue om̄em lachrymam ab oculis veſtris abſterget. Mors nō erit ampliùs, neque gemitus, neque fletus, neque dolor: ſed nouū quoddam ESSE orietur, cuius maieſtatē, magnitudinem, delicias & pulchritudinem nullus vnquàm oculus vidit, nulla auris audiuit,

nul-

nullum cor appræhendere valet. Accidentalis illa corona, & quicquid in DEI verbo credidimus, comperiri se tum permittet.

Hic Articulus in vtrisque Testamẽtis testificationem habet. In veteri: Esaiæ LIII. Sempiterna lętitia super eorum capita erit. Similiter cap. LXI. Sempiternam lętitiam habebunt. Esaię XLV. Israel saluatus est in Domino salute æterna. Dan. XII. Aliqui euigilabunt in vitam ęternã. In Nouo. Mat. 25. Iusti intrabunt in vitam æternam. 1. Pet. v. DEVS in æternam gloriam suam nos vocauit. Rom. VI. Finis vita æterna. 1. Ioan. 2. Hæc est pollicitatio, quã pollicitus est nobis, vita ęterna. Eò nos iuuet Omnipotentissima, benignissima, sanctissima Trinitas, in quam purè credimus, omnibusq; nostrę in domo Domini vitæ diebus credere volemus. Amen.

# ORATIO, QVAM DOMINVS DOCVIT MATT. 6.

POSTQVÀM fidei ſanctę fundamentum tuo in corde locatũ eſt, Christiane, tuq; iam verè nôſti, de DEO tenendũ quid ſit: ſupereſt modò, vt poſthàc eandem fidem extrinſecùs operibus rectè bonis erga DEVM pariter & erga fratrem tuum, oſtendas. Itaque neceſſum hîc eſt vt ores, tantùm in Domino & veritate, & cum innoxiarum manuum eleuatiõe. Quod opus inter omnia alia nobiliſſimum ac precioſiſſimum eſt, primumq; dignè fidem comitatur. Nam ſi precandum eſt, fidem anteà non tantùm ſcire, ſed exercere etiam oportet. Iam hoc orandi opus ad DEVM fit, eiuſque ab Angelis ſurſùm ante memoriam ipſius perfertur, multo acceptius, q̃ optima cunctarum oblationũ Moſaicarum odoramenta.

## INITIVM ORATIONIS DOMINICAE.

## Pater noſter qui es in cælis.

HIc eſt introitus huius omium ſanctiſſimæ precis, quo nos DEVM recto eius

ti-

titulo vocam⁹ & inuocamus, antequàm, qđ ab ipso petêtes desideremus, sequatur. Eodem modo habent & DECEM PRĘCEPTA prębulum ac prępar amentum, nempe verba hęc: Ego sum DEVS tuus &c. DEVS se etiam Iudęorum Patrem nominari siuit, vtì scriptum est Esaię 63. Tu Domine Pater noster es &c. Et Hierem. 3. Patrem me vocabis. Quanto magìs autem ille Christianorũ Pater est, qui ipsum per vnigenitum eius filiũ, supra Iudæos vniuersos, agnouerunt? Cęterùm quandò DEVM, Patrem nostrum confitemur, tria interìm tacitè approbam⁹. Horum primũ est, nos inuicèm vniuersos, fratres ac sorores esse, & reipsa esse debere, vtì scriptum est: Oēs autem vos fratres estis, Matt. 23. Secundum est, quòd regenerationem, quæ per aquam & spiritũ fit, approbamus. Nam hinc est, quòd DEVM vtì Patrē habem⁹, velut eum qui nos per supradictũ spiritum desupèr, Ioan. 3. ex incorruptibili semine verbi DEI, 1. Pet. 1. ad vitam æternam regenerârit nouos homines, sapientes ea q̃ sunt in cælo, Coloss. 3. Tertium est, quòd

profitemur honorem Patris, ficutì fcriptũ eft: Si Pater ego fum, vbì eft honor meus? Malac.1. Honor autem ifte, in Diuinorum præceptorum obedientia cõfiftit. Quomodò enim poffit quifquam DEVM celfiùs honorare, quàm fi voci oris eius obediat? Eapropter quod Mofes in Decalogo ait, Honora Patrem tuum: idipfum fanctus Paulus exponit fic, Obedi Patri tuo, Ephe.6. QVI ES IN CAELIS. Hîc refidentia fiue manfio, immò grãde illud regnum Patris noftri affignatur, vt eo maiorem ad ipfum fidutiam habeamus. Si cælum, Patris noftri fedes eft, ibì habitantis, ibì dominantis, ibì perpetuò manentis: profectò non fimplex Pater, curator ac Dominus fit oportet. Si in cęlo eft, defupèr facilè refpicere & agnofcere, fuis quid filijs deficiat, valet: múltoque perfectiùs defupèr, in omnibus etiam tribulationibus, opitulari poteft. Quid aio cælum? Hic nofter Pater fupra cælos eft vniuerfos, cælique cęlorum continere aut compręhẽdere ipfum nõ queunt, 2.Paral.2. Adeò eft ipfe immenfurabiliter ingens, adeò ineffa-

biliter diues, adeò incomprehẽsibiliter potens. Ipse cælum & terrã, mare & abyssum in sua plenaria possessione habet, quoniam vniuersa creauit, suaque cum potestate est vbiquè. Veruntamen eum in cęlo tantùm, velut dignissima in sede, & quò nos, vti in patriam nostram, venire speramus, quærere debemus. Iam verò filialis ista, charaque fidelium Christi IESV allocutio, paternum cor mouet, vt erumpat & familiariter quærat: Filioli mei, quid desideratis à me? Narrate solùm vestras petitiões. Si estis mei nõ degeneres, neque inobedientes filij, en vos vniuersa impetrabitis: immò exaudiam vos priusq̃ me inuocetis: Esa. 65.

PETITIO PRIMA FILIORVM DEI.

Sanctificetur Nomen tuum.

NON satis est, Nomen Patris nostri cęlestis in semetipso semper & æternè sanctum esse; verùm summa Diuinę eius Maiestatis oportunitas exigit, vt ille in suis etiam creaturis sanctus comperiatur. Eam ob

rem hæc est inter omnes septem petitiones maxima atq; prima. Nos sanctificat DEVS, Exod. 31. facitq; hoc per suum sanctum spiritum, qui hinc spiritus sanctificatiõis, per Apostolũ vocatur ROM. I. Iam porrò quando nos primùm à DEO sanctificamur, idq; cælesti virtute, tum verò ipse vicissim à nobis iterùm sanctificatur, iuxta verbum Esaiæ 8. primęq; Pet. 2. Dominum exercituum ipsum sanctificate &c. Deut. 32. Vos me nõ sanctificâstis &c. Atque id vera cum iustitia faciendum. Nam DEVS alio nos modo sanctificat, quàm nos eum sanctificamus: quẽadmodùm & alio nos ille ingenio benedicit, quàm nos eum benedicere valemus. Vide hac de re Psalmum 102. Sãctificari in nobis & inter nos vult ipse, iuxta precationis huius verba, & Mosis Leuitic. 10. & Esaiæ 8. Quod tamen ipsum etiam Moses & Esaias, DEVM sanctificare, vocant, vt suprà est auditum. Quæstio: Quî tandèm in nobis & inter nos DEI nomen sanctificatur? Responsio: Trifariàm, videlicet per Euangelij in toto Mundo prędicationem, & per Chri

sti

sti fidem,& per vitam Christianam. Notanter hoc intellige sic: Quum de Christo IESV euangelizatur vnde fides crescere queat, id iam tum proficit ad honorē Dei, velut qui perditum Mūdum ex gratia tutatus, ab interitu vindicârit. Eccè, hinc nomē DEI à generationibus cunctis sanctum dicitur, sanctum habetur, sanctum celebratur. Indè est, mea sententia, DEI nomen omni honore dignum, æstimatur preciosum, glorificatur, extollitur, magnificatur, celebrat̄, effertur, laudatur,& super omnia nomina nominatur. Multo autem magìs Diuinum nomē laude, gloria, gratiarumq́ue actione sanctificatur, quandò credentium aceruus se adauget; Maximè verò, quādò viuit̄ Christianè: Nā DEI sanctitas lucere in nobis, & quasi resplēdētiam exhibere deberet, cùm scriptū sit; Sancti estote, quoniam ego sum sanctus; Leuit. 20. 1. Pet. 1. Sic nos DEVM sanctificamus, aut facim⁹ quòd nomen eius inter om̄es populos sanctū æstimetur,& glorificetur, quandò nos sanctæ conuersationis sumus: quemadmodùm contrà nomen

eius dedecoratur& opprobrio afficitur inter Ethnicos, quandò nos iniquæ conuersationis sumus, vtì scriptũ est Ezec. 36. Rom. 2. Ad hunc modum & Esaię 5. dicitur, sanctum DEVM iustitia sanctificari, idq́; per seu inter nos. Quandò nos frugi sumus, iam tũ quisque (qui nos quidẽ nôrit) dicat oportet: Eià q̃uàm sanctum necesse est esse DEVM, cùm populus eius in verbis & operibus sit tam sanctus. Sic per nostra bona ópa cælestis pater glorificatur, vtì Domin⁹ ipsę Matt. 5. dixit.

Dic nũc fili mi: quid precaris à me? Sancte Pater, primum est, vt nomen tuum non modò per verbum notificare, sed etiam per opus sanctificare velis ità, vt Mundus tuam sanctitudinẽ in nobis videat & agnoscat. Da gratiam identidèm magìs ac magìs, vtì nomen hoc assiduè in precio habeamus, ipsum celebremus & honorem⁹, ipsum reuereamur & inuocem⁹. Custodi nos, vt nomen hoc neq; ore, neque actione mala polluamus, verùm ore simùl & actionibus bonis indesinenter sanctificemus, alijsq́; eiusdem

dem sanctificandi occasionem dare queamus. Tu tibi vniuersam à nostra iustitia laudem habe, nominique tuo omnem ex nostris operibus bonis honorem tribue, Psal. 113. Dan. 9.

Summa est: Pater, fac & cõserua nos iustos & sanctos in veritate, ad laudẽ tui nominis inter omnes populos terræ. Amen.

## SECVNDA FILIORVM DEI PETITIO.

## Adueniat regnum tuum.

DVPLEX est DEI regnũ. Vnum est hîc in terra, alterum illic in cælo. Atque hæc, cùm vtraque simùl DEI sint, propriè vnum esse regnum oportet: quẽadmodùm vnus DEVS, eiusdem regni vnus rex est. Cæterùm quòd illa sic diuido, occasio est, dissimilitudo, sicutì ea nobis appáret. Hîc quidem nobis Christianis DEVS cõcedit esse in suo regno, id est, in sancta catholica Ecclesia, pugnareque aduersùm aërios spiritus, idq; interueniente & mediante Euangelica doctrina ac fide; nostrûm verò nulli in ter-

ra est datum, absque omibus peccatis, omibus passionibus, omnibus tentationibus, omnibus defectibus, omni miseria, calamitate & infortunio esse. Talibus enim exonerari anteà non quimus, quàm dissoluamur, terrenaque istius tabernaculi domus destruatur, perueniamusq; in verum illud DEI regnum, vbì nulla mala concupiscentia, nullum peccatum, nulla debilitas, nulla tristitia, nulla paupertas, nullus dolor, nullus flet⁹, nulla afflictio, nulla necessitas, nulla mors est futura. Interìm suspiramus grauati sub magnis humanę miserię ac perituræ infelicitatis oneribus, tametsi nos quidē insiti, immò incorporati simus regno filiorum DEI, in eius verbo subsistentes. De regno DEI, quod aliquandò etiam regnum cælorum in Noui Testamenti Libro vocat, hicq; in terra degit, nempe sancta per totū mundum Christianitas, legis Mat. 3, Appropinquauit regnum DEI. Et cap. XI. Regnū cælorum vim patitur, Et cap. 12. Regnum DEI ad vos peruenit. Similiter Marc. 9. Lucæ 9. pręsertìm cap. 17. Regnum DEI intra

vos est. De regno DEI quod in illo Mundo præstolamur, & vbi gaudium omne, vitaq; sempiterna erit, legis Luc. 23. Memẽto mei Domine cùm veneris in regnum tuum. Atque Ioannis 3. Nisi quis renatus &c. nõ potest introire in regnum DEI. Et Gal. 5. Qui talia agunt, regnum DEI nõ hæreditabũt. Et Actorum 13. Per multas tribulationes in regnum DEI intrare nos oportet. Itẽ 2. Pe. 1. &c. Iam verò omnium certissimum est, quòd quicũque hîc in regno DEI & communione sanctorum, per Euãgelium vocatus, non reperitur, idem illic DEI regnum hęreditare nõ potest. Qui regnum DEI hîc non intrauit, dico ego, is illic non intrabit. Eapropter filij DEI idem regnum orant, postquàm DEVS, rex ille, eorum Pater est factus. Si huius magni regis filij sunt, sequitur tum, eos & regni eius participes esse. Ità iam hîc Pater oratur, vt regnum suũ magìs ac magìs in vniuersum Mundum venire sinat: id est, vt sancta Christianitas identidèm proficiat, regnumq; diaboli, id est, malignus Mũdus, identidèm deficiat, miracu-

Iosa per digitum DEI virtute: vtq; ipse idẽ suum regnum, quod penitùs de hoc Mũdo non est, desupèr è cælo per suum spiritum ac verbum stabilire & conseruare velit. Secundò oratur, vt idem ille in cordibus nostris, velut in suo ꝓprio, habitet ac regnet: soleturq; in tribulatiõibus, quas satanę regnum nobis immittit: Detq; robur, vt nos hoc eius spirituale regnum nũquàm deseramus, aut indè ad Mundi regnum deficiamus: sed vt per eius spiritũ, super infernale regnum aut potiùs tyrannidem, insuperabiliter dominari queamus. Tertiò oratur, vt noster demùm Pater suum regnum penitùs & integrè sup nos venire sinat: quia quandiù hîc in Mundo sumus, præ satanica tyrannide neque requiem, neque tranqllitatem habemus. Tunc verò perfectè veniet, cùm diaboli regnum perit: quod in die nouissimo est futurum.

Dic nunc fili mi: Quid ampliùs petis à me? Iuste pater, quoniam in cælo & in terra sempiternus rex es, sine vt Mundus vniuersus, tuum regnum in spiritu agnoscat & as-

su-

ſumat: ſine regnum tuum ſuper omnia dominari, per quod poteſtas malignorum hoſtiũ infirmetur, ac poſtremò penitùs extinguatur. Regna tu in nobis, omnesq́; à nobis diabolicas aduerſitates expelle. Nos autem, Pater, iſtius exilij valdè tædet, patriãq́; noſtram cæleſtem deſideramus. Eapropter ſine tandèm ſemèl aduenire tẽpus illud acceptabile, quo tuum cæleſte ac ſempiternũ regnum omnibus electis aperietur, atq; in manus tradetur. Nullo enim nos die nõ recordamur verbi illius, per quod filius tuus idem cæleſte regnum nobis addixit, videlicet: Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum quod vobis paratum eſt ab origine Mundi. Sine regnum idem ilicò aduenire, eoque nos in gloria optata certò potiri. Amen.

TERTIA PETITIO FILIORVM DEI.

Fiat voluntas tua, ſicut in cęlo, & in terra.

VOLVNTAS DEI duobus fit modis, per actionem videlicet & passionem. Hęc duo strenuè à nobis Domin⁹ exigit. Voluntas enim eius, opere nobis est exequẽda: & quodcunque vult, per sufferẽtiam toleran dum. Cùm verò tale in vetusta Adæ carne non crescat, notabiliterq́; magna res sit: exorare nos id à patre nostro, idem que à cælo præstolari, oportet. Voluntatem præterea suam ab omnibus (factã) habere vult DEVS creaturis, vtì scriptum est: Cõsilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Esai. 46. Contra id verò nulli viuo homini murmu randum, aut dicendum: Quid facis? Nihilo seciùs, quàm abieti aduersùs detruncatorẽ, faciẽtem ex ea quicquid velit, Hier. 18. Ro. 9. Dictum est istud de immutabili voluntate DEI, cui nihil resistere valet. Nos iam tales esse homines deberemus, ꝙ nil tam an xiè meditaremur, quàm vt nostri dilecti patris volũtatem ac beneplacitum exequeremur, operando quod bonum est, & quod malum est obmittendo: cùm nos, DEI eccle sia & populus, in Propheta nomẽ illud spe

ciosum habeamus, vt vocemur, Voluntas Domini Inter Nos, Esaiæ 62. Quę est ergò voluntas eius, quam facere debemus? Paulus respõdet, Sãctificatio vestra &c. 1. Thes. 4. Quod eò dictũ est, vt nos à peccatis contineamus. Petrus etiam respondet: Hæc est voluntas DEI, vt benefaciendo &c. 1. Pe. 2. Quod eò dictum est, vt bonum operemur. Si fecerimus voluntatem DEI, manebimus in æternũ, 1. Ioã. 2. cęleste regnũ certò habituri, Matt. 7. Porrò nostræ carnis voluntas absit vt in nobis aut nostris operibus inueniri possit, Esa. 58. sed nostri spiritûs voluntas in lege Domini reperiatur oportet, Psal. 1. Nec verò id solùm, sed postulem⁹ etiam cum Dauide, vt Deus volũtatem suam nos facere doceat, Psal. 142. Quomodò autẽ voluntas DEI nobis per sustinentiam adimplẽda? Id nos ipsemet Dominus noster exẽplo suo docet, cum directam Patris sui voluntatem & intẽtionem in horto agnosceret, eam in mansuetudine susciperet, in patientia sustineret, ac diceret: Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat, Luc. 22. Ta-

lia verba ex corde loqui & putare, docent nos etiam Discipuli ex Cæsarea, aduenturã sui dilecti Apostoli Pauli passionẽ ex Agabi vaticinio intelligentes, ac dicentes: Volũtas Domini fiat: Act. 21. Nam propter benefacta pati, valdè est bonum, quemadmodùm Petrus ait.

Dic iam fili mi: quid petis ampliùs à me? Pater omnis misericordiæ, vide quomodò satanas post se nos trahat, ad suam voluntatem faciendam, Mundoque isti suo beneplacẽdum, tametsi nouit, nos sibi in baptismo abrenũciâsse, tibique soli addictos esse. Effunde igitur Domine de tuo super nos spiritu virtutem & potentiam, quibus voluntati satanæ aduersari, nostræ carnis voluntatem frangere, Mundi beneplacitum vitare, tuamque omnium dilectiss. voluntatem solam, in omni vita nostra & actione, facere possimus. Ad hæc, vt persecutiões & aduersitates forti animo feramus, quãdò tua id voluntas est, & quandò nostræ crucis hora adest, vt etiam nobis cum tuo vnigenito filio, nostro Seruatore, ex calice (passiõis) bi

bendum ſit, atq; itá cum ipſo in tuam gloriam intrandum. Effice nos ad tuam voluntatem ſpontaneos, & ad diaboli voluntatē inuitos. Eueniat, hoc eſt, fiat ex eo, in opus erumpat om̄e quod vis, tam in terra, quàm in cælo. Ibidèm enim volūtatem tuam exequuntur angeli, Pſal. 102. fitque om̄e quod & quomodò velis. Tantummodò in terra laborem ac dolorem habet. id facit odioſus ſatan, tu' & noſter aduerſarius. Summa: Quod TU vis, hoc in nobis per actionē & paſſionem fiat. Amen.

## QVARTA FILIORVM DEI PETITIO.

## Panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè.

HActenùs in oratione ſoliciti fuimus, honoris DIUINI, REGNI, & BENEPLACITI cauſa: quæ ſummæ PETITIONUM ſunt partes. Iam noſtræ neceſſitatis ergô precamur. Et inprimìs propter charum panē, quem nos panem noſtrum appellamus, ſicutì & Eſaię

4.quòd hunc nos habere oporteat,isq́; nobis præcipuè hominibus ad edendũ sit creatus. Quotidianus vocatur iste panis, non ideò solùm, quòd ipso quotidiè ad conseruationem corporis egeamus, verùm vt nihil ampliùs ad habendum petere,neq; plus quicquam cogitare aut curare debeamus, nisi quantulo de die in diem vti possimus. Hucq́ue alludit etiam conuenienter, quòd petitioni huic apponimus, HODIÈ, quasi dicere volẽtes: Si hodiè panem habuerimus, profectò & cràs DEVS commodè procurârit. Nam precatio hæc non amplius vult, q̃ modicum quiddam alimenti, sicutì natura se paucis etiam saturari sinit. Atque ità nec Salomon plus petere voluit, quàm simplici quod necessitati satis esset: Pro.30. Item patriarcha Iacob dixit: Si dederit mihi Dominus panem ad manducandum &c. Gen.28. Cæterùm vt ex fundo intelligamus, quid hoc loco Dominus quotidianum vocet, videndus est nobis præcipuè textus Græcus. Is verò non habet καθημερινὸν, nec item ἐφήμερον, sicutì aliâs vox ista quotidiani, apud

Græ-

Græcos ſonat; ſed ἐπιούσιον, in Matthęo pariter & Luca: quod tantum eſt, ác ſi dicas, Aliquid ſubſtantialem & cõtinuam permanentiam habens, non fallens, neque deficiens, ſed per ſe ſubſiſtẽs, ſuamq; identidèm conſequentiam obtinens, velutì Tempus, quod aſſiduè vno perdurat modo, ſuamq; itidèm eſsẽtiã parẽ ſemp habet, ſicutì DEVS ipſum ordinauit, diem vnum poſt alterum producens. Hinc vtitur ſanctus Lucas hoc verbulo, vbì ſcribit: Sequenti die venit ille ad eos &c. Actor. 7. ἐπιούσῃ nominans, quod nos, ſequenti, nominamus: cùm vnus dies ità ex altero pendeat, vnuſq; alterum ęquè ſuſcipiat identidèm in eſſentia & perſeuerantia vna abſque defectu. Sic, vt noſter panis ob id ἐπιούσιος aut ſuperſubſtantialis ab Euãgeliſtis appelletur, quòd ſit nòſtri terreni corporis quædam velutì ſubſiſtentia, vndè vitam hanc ſuſtẽtamus, ac de anno in annum producimꝰ. Eſt ſupereſſentialis, aſſiduè durãs Panis, ſemper abſque intermiſſione exiſtens, hodiè & cràs & perendiè, verùm & vltra perendiè, antè & pòſt &c. Nã

DEVS ipſum deficere non ſinit, donèc terra ſtat, donèc ſemētis & meſſis, ęſtas & hyems, dies & nox, aut ſinè quo nos eſſe, viuere atq; pmanere nequimus, perdurāt. Quanuìs autem eam ob rem, pro QVOTIDIANO, ESSENTIALIS dici poſſit, melius tamen eſt, ꝙ apud commune verbum maneatur, quum illud ipſum quod quotidiè eſt & fit, eſſentiam propemodùm ſecum ferat. Omninò enim præcipui quiddam præ alijs eſſe oportet, quod ſinè diminutiōe atque defectu, quotidianum eſt. Eapropter vna (eademq;) res eſt, quotīdianus & eſſentialis panis: nempe qui ſemper eſt donèc homines ſint, eo ſuæ quotidianæ ſuſtētationis gratia, hoc eſt, de dię in diem, indigentes: etſi DEVS aliquem etiam abſque pane in vita conſeruare valeat, Deut. 6. Mat. 4. Hunc aſſiduò pdurantem panem, Hebręi vocāt THAMID LEHEM, cùm ſemper ille ad vtendum præ manibus ſit: quęmadmodùm hoc demùm ſic eſſe iuxta neceſſitatem humanā oportet, etiāſi pecuniæ ſeu BONA alia ſint aut non ſint. Hebraica verba iſtęc īuenis 2. Re. 9. & 4. Re. 25.

Itaq;

Itaque iam dic fili mi: quid petis ampliùs à me? Pater omnis consolationis, si nos creâsti, etiam nos ale, sicutì patrem decet. Neque enim nobis lapidem dabis, qui te panem rogamus: neque filijs tuis etiam datum panem abripies, quo tam difficulter carere possumus. Da laborandi pacem, da Solem, pluuiam, tempestiuamq; & frugiferam auram, vt benedictio tua nobis commoda fiat. Noli, amabò, panis baculum in regione viuentium frangere. Aperi identidèm manum tuam, nulloque vnquàm die vultum tuum à nobis absconde. Præter hunc, petimus etiam spiritualem panem, sinè quo nouus Adam noster viuere haud potest. Præserua nos à tui sancti verbi esurie. Ciba nos gratia, solatio, gaudio & spe, per tot istius infelicitatis angustias & necessitates. Para nobis mēsam aduersùs eos, qui propter iustitiam nos affligunt. Nunquàm etiam nos Eucharistiæ sanctæ, veri illius cælestis panis, penuria laborare sinas, vt in corpore paritèr & anima satiati, te Pater omni tempore laudemus atque glorificemus. Summa;

Nos, quousquè exilium istud incolimus, ale & vesti. Amen.

## QVINTA PETITIO FILIORVM DEI.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitorib9 nostris.

Hîc docuit nos Dominus peccatorum remissionem petere, per id ostendés, peccatores esse nos, esseque posse, sed iuxta carnem. Secundò, peccatum super nos manere non debere: alioquì perierimus æternùm. Tertiò, quòd ꝓpter remissioné orare & flagitare oporteat, alioquì nó impetrandam. Verùm consolatio bona prę manibus est, quandò peccata etiam rursùs facta, remitti queant: supraq; modum hîc DEI bonitas glorificatur. Peccatum ipse debita vocat, proptereà quòd sicut diues pauperi debitum eius remittit & códonat, quùm soluendò non sit, ità nobis faciat etiam DEVS misericordiæ diues. Hac de re legis parabo-

lam verè Euangelicam Lucę 7. Cæterùm fa ciliùs inueniretur, qui pecuniæ debitũ alicui cõdonaret aut dimitteret, quàm debitum peccati: quanuìs illud ipſum etiam ſit valdè rarum. Valdè autẽ beneficum eſt, digneque inter nos etiam Chriſtianos eſſet, quãdò iam olìm & inter Ethnicos fuerít repertum. Talemque pecuniæ debitæ remiſſionem, Solon Athenis Græcè vocat Σεισάχθειαν, id eſt, oneris leuatiõem, quemadmodùm Plutarchus indè ſcribit. Mutuum date, ait noſter Solon Luc. 6, nihil indè ſperantes. Nos DEI debitores ſumus, alter altero magìs, iuxta quod vnuſquiſque contra DEVM & proximum ſuum peccauit. Iam DEVS monere nos, repoſcereque à nobis, habet. & cùm nihil ſit vndè ſoluamus, ius eſt illi nos arripere, vincire, & in ęternum ignẽ iacere. Quid ad hæc agere volumus aut debemus? Iuſtitia aduerſùm nos eſt. Id agnoſcimus, eique debitum haud negamus. Eapropter cõſilium illud fuerit optimum, vt eum deprecemur, ipſumque ad miſerendũ noſtræ paupertatis molliamꝰ. Cæterùm pe-

 ti-

titio hæc non incedit libera, ſicutì aliæ, ſed appendicem quandam poſt ſe trahit, quæ eſt: SICVT ET NOS DIMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS: aut vtì ſanctus Lucas deſcribit, Si quidem & nos remittimus vnicuiq; nobis debẽti. Ad hæc repetit etiam poſteà Dominus orationem iſtam apud ſanctum Matthæum, additionemque hanc ſingularib⁹ verbis declarat, quod aliâs in nulla precatiuncularum facit. Eique ſemèl dixiſſe nõ ſufficit, verùm repetit iterùm Mat. 18. non ſolùm apertis verbis, ſed inſignẽ etiam parabolam eò adducit: Sic, vt petitiõe hac qnta non ſolùm remiſſionem peccatorũ precari docuerit, ſed etiam dimittere, per eam docere voluerit. Et reuerà appendix iſta, ludicra res non eſt: quantunlibèt parui à pleriſque æſtimetur. Eſt enim peſſuli ad decimum Articulum obditio, multoſque huius tempeſtatis, qui remiſſionem abſque remiſſione volunt habere, ſuffocat. Veri autem Chriſtiani, reſpiciunt Dñi verba, ipſumq; opus pertractant: ijs ipſis petitio hæc commodè facta eſt, Quomodò enim conditio-

nem hanc seu sponsionem, vti sanctus Cyprian⁹ appellat, effugerent, quum ipsorum cordibus nihil Christiana pace, fraternaq; vnitate charius esse queat? Dimittunt enim libentiùs, quàm debiti monent: donant citiùs, quàm vt vindicare & in ius vocare velint. Hoc in eis DEI Spiritus agit.

Dic nũc fili mi: quid petis ampliùs à me? Benigne Pater, in ęre nos tuo sumus. Iam verò etsi oĩa simùl vẽdiderimus, etiã corpus & animam, ac tu quidem patiẽtiam diù nobiscum habeas, necdùm tamen satisfacere tibi valem⁹: sed cùm tuus filius in cruce debita nostra super se assumpserit, contriti & dolẽtes precamur, vt misericorditer, quod nos præuaricati sumus, deleas. Noli vetera nobiscum debita cõputare: obliuiscere ea, nobisq; dona: nam talia donare, tibi nihil obest, nobisq; multùm ꝓdest. Vtiquè nos etiam dimittimus alter alteri, si fortè nos frater noster offenderit: neque vnus alterũ in ius trahimus, tuum ea in re exemplum sequentes. Age igitur & tu sicutì nos, cùm nos agam⁹ quemadmodùm tu, vt inimici-

tia

tia omnis inter te simùl & nos, interq; fratrem & fratrem, subsidat.

Summa: Deus, esto nobis tuis debitorib⁹ clemens, & ab ira desiste. Memento ꝙ terra sumus, tuarum tamen manuũ opus. Amen.

## SEXTA PETITIO FILIORVM DEI.

### Et nè nos inducas in tentationẽ.

O quàm necessaria ést nobis etiam petitio hęc. Hîc enim fatemur, quàm fragili iuxta carnẽ materia simus. Fatemur etiam, quàm validus & victoriosus aduersùm nos sit satan, nisi dextra DEI, velut circulus & optimus murus, nos circũstet. Quòd aũt hîc innuit, quasi nos DEVS in tẽtationem inducat, intelligi debet permissiuè, nõ effectiuè. Non enim est DEVS ad malum tentator, vtì sanctus Iacobus ait. Satan est talis, q malum exequitur cõtra nos: isq; eius est appetitus. Sed nè pilulum quidem veterator ille maxim⁹ curuare nobis posset, nisi permit-

mitteret ei DEVS. quòd verò id ei permittit, sæpè fit nobis saluti, sæpè correctioni. acriorem enim adhuc virgam mereri possem'. DEVS hîc sinit tentationem sibi asscribi, neque vult satanæ tantum honoris exhibere, vt eum vel nominârit: idque dignè, cùm satan eius rei famulus sit, neminemque absq; mandato tentare queat. Inuocare itaq; debemus hunc, qui tentationis ipsius potestatem habet, nosque vt ab ea liberemur, coram illo precari. Si custodire vult nos ille, tentatorem nos linquere pacatos oportet. Tentatio vocantur omnigenę aduersitates & impugnationes, per quas in terra multis ac varijs modis huc illucque agitamur. Appræhendimur enim latere ab vtroque, modò per hoc quod corpori malè faciat, modò quod faciat benè. Nam satanas ille tentator, negocium suum astutè exequitur: si quem nequit dolore supprimere, hũc mollitie tentat. Iob stabat ei, tanquàm Heros, in dolore: verùm Dauid, quum voluptate impugnaretur, vacillabat, quãtunuìs alioquì firmiter stare soleret. Quòd porrò tentati-

ones

ones precãdo anteueniri queant, legis Mar. 14. ac Luc. 22. Orate, nè intretis in tentationem. De tentatione cõtra quam orare debeamus, legis etiam 1. Co. 10. 1. Pe. 1. Act. 10. Apoc. 3.

Dic nũc fili mi: quid petis ampliùs à me? Fidelis pater, cerne quos laqueos satan nobis omnibus in vijs posuerit, qbus nos caperet, iterũq; suũ ad regnũ abduceret. cerne quales foueas nobis fecerit, in quas nos de improuiso præcipitaret. Quoniam verò eius apud te est potestas, adeò nobis (obsecro) benè fac, & abige tentatorem. Agè voluntatem ei suam malam contra nos miseras ouiculas, quarum pastor es tu, ità penitùs non permittas. Penès te quidẽ est, quòd à diabolo tentandi sumus. Iam verò periculosum est tentari, quandò id rarò succedat benè, nostraque in carne nil habitet boni. Eapropter nè inducas nos, pater noster, tua permissione in tẽtationem: verùm sine per medias omnigenas tentationes ad te venire illæsos: nisi forsan ità res sit, vt tuus id honor, salúsq; nostra sic exigat. Si hoc ità est,

libēter pati velimus, pro magno etiam gaudio habere, vt tecum regaliter posthàc dominemur. Et tamen suprà quàm possum⁹, tentari nos haud sines, neque crucem nostram adeò importabilem reddi. Tantūmodò sancte Pater, nè permittas vt per amicitiam secularem & callida verba, nos serpēs ad peccata & hæreses pertentet. Noster lapsus & perditio, beneplaciti tui certè non sunt. Si verò ipsum etiam nos vtiquè hac in re aggredi & experiri oportuerit, da vt frustretur, suaque tela ignea in nos vanè torqueat, sicut in tuum dilectum Filium, Mat. 4. & in sanctos tā multos Ecclesiæ tuę agonistas, frustrà iaculatus est. Summa: Ne pmittas nos à diabolo tētari: aut si omninò sic futurū est, fer opem, vt ipsum tentatorē strenuè vincamus. Amen.

## SEPTIMA FILIORVM DEI PETITIO.

### Sed libera nos à malo.

HOC dependet aliquo modo ex petitiuncula superiori, quēadmodùm vo-

cula istęc, SED, idipsum ostẽdit. Hinc nonnulli ex veteribus, vtì Chrysostomus & Theophylactus, istud simpliciter de satana intelligunt, sicutì de tentatione satanica, præcedẽs. Rursùm Cyprianus intelligit de de omnifario malo, quodcunque homini obuenire potest. Non ideò tamen pugnant ij, sed rectè faciunt omnes. Nam cùm DEVS à malo nos liberat, liberat etiam ab omi eo, quod malus ille in toto aduersùm nos mũdo patrat. Quin Gręcè habet sic, vt vtrunque intelligi possit, nempe quòd precamur liberari à Malo, diabolo scilicet, & simùl à prauo seu maligno, quod à Malo illo prouenit, nõ à DEO. Nam scriptura Apostolica vtitur dictione ista πόνηρος, indifferẽter iam pro satana, iam pro eo quod satanicũ, malum, prauum, fallax & improbũ est, sicutì 1. Ioan. 2. per eam vocem Malus, deindè cap. 5. malum accipitur, quẽadmodùm etiam Rom. 12. Aliâs Matt. 5. & 1. Cor. 5. voce ea Malus pariter & malum intelligi potest. Assignatis enim in locis eosdem passim articulos habet, vt necessarium non sit, ob id

con-

contẽdere, siue masculinè à malo, siue neutraliter legatur. Verbum LIBERA, ad hoc ità sonat, quasi nos Mali malitia, nocumentis & infortunijs omninò circũdati simus, indeque liberari petamus. Quo innuitur, q̃ vita hæc interminabilem infelicitatem adferat, & quantoperè DIUINO auxilio om̃i tempore ac momento indigeamus.

Dic nunc fili mi: quid postremò petis à me? Fortis DEVS ac benigne PATER, nullã Malus requiem nobis, quandiù tabernaculum istud circũferimus, permittit. Mortis & inferni catenis nos circundat. Cogitat enim nos, tanquàm suos, iterùm spoliare & possidere. Ab eius tyrannide libera nos PATER quotidiè Spiritûs tui virtute, sicutì nos semèl ab eo per tui FILIJ sanguinem liberâsti. Quin libera nos etiam ab omni eo quod à diabolo est, etiam si bonum videatur. A cogitationibus malis corda nostra, à sermonibus malis os nostrũ, ab operibus malis manus nostras custodi. Custodi vitam nostrã ab omni infortunio, quomodocunquè vocari potest, dum tamen saluti nostrę nõ ob-

ſit,tuoq; honori proſit. Cuſtodi nos à malis ſeculi iſtius mali hominibus, vt neque in corpore, neque in anima nocere poſſint. Et vniuerſa hæc in nomine IESV Chriſti ſaluatoris noſtri, & in tuo ſancto ſpiritu, te rogamus, confiſi te nos tuo tempore clementer exauditurum.

## Amen.

QVID ſignificat AMEN? Id docemur primi libri Paralipomenon Cap. 17. vbì Dauid ait: Domine, verbum quod locutus es, IEAMEN: hoc eſt, Fiat verum: aut, Sit certum atque credibile: aut, Opere ipſo cõfirmetur &c. Et quemadmodùm aliâs Dauid aliquot Pſalmos duobus AMEN claudere ſolet, ità & hîc bis dicit, IEAMEN. Eodem modo loquitur Salomon: Domine, ſine verba tua IEAMEN, hoc eſt, vera fieri, aut impleri. Vide ſecundi Paralip. primum & ſextum. Et vſus verbi eius eſt, quum alter ad alterũ ex deſiderio ait: Sit vtiquè adeò certũ. Itẽ, Nõ futilitas, ſed certa veritas erit &c. Hinc dicit ſanctus Paulus 2. Cor. 1. Promiſſiones

DEI

DEI sunt Ità & Amen:hoc est, quæ dubitandę sint nemini, verùm quasi certæ vnicuiq; credendæ.

# DECEM MANDATA DEI.

EXOD. 20. DEVTER. 5. MATT. 19. LVCAE 18.

SI iam precibus DEO, in quem credidisti, ex puro corde seruis: reliquũ adhuc est, vt etiam proximo tuo fraternè per charitatem seruias, decẽq; in eo Mandata, secundæ præsertìm Tabulæ, serues. Idq́ue non ideò solùm, quòd talem ei amorem debeas, sed ob id etiã, quòd bona salutis tuæ pars indè pẽdeat, sicutì à Domino per Euangelium est dictum: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, Mat. 19. Marcus verò hanc vitam, de ęterna innuit vita. Simile facit Lucas cap. 18.

MANDATVM PRIMVM.

# Non habebis deos alienos præter me.

IN Mosaica lingua ad hunc sonat modũ: Tibi (seu apud te) non alij (seu posteri) dij erunt. Sed eiusmodi sermonem hîc vertim', vt teutonismo se nostro adęquet, scientes Hebraicam proprietatem, quòd scilicet ij, cùm dicere volunt, **Er hat keinen son**/ (id est, Is nullum habet filium) tum dicunt, Ei nullus erat filius: Iudicum 11. Item vbì nos (Teutones) dicimus, **Elcana hat zwey weiber**/ (id est, Elcana habet duas vxores) 1. Reg. 1. ibì dicunt illi, Elcanæ erãt duæ vxores. Vbì nos (Teutones) dicimus, **Du hast kein schwert in deinen henden**/ (id est, Nullum habes gladium in tuis manibus) ipsi dicunt, Nullus est gladius in manibus tuis, 1. Reg. 21. Esa. 3. Vestimẽtum tibi est, hoc est, Vestimẽtum habes &c. Valdè hoc est commune. Latini item eo modo loqui solent, dicentes:

Est mihi nanque domi pater &c.

Est mihi disparibus &c. Fistula: Pro quo

alij communiter, Habeo domi patrem, Habeo fistulam. Ità se res habet etiam híc: Nõ erunt tibi dij posteri, id est, Non habebis tu deos posteros, id est, post DEVM deos. Quos scriptura modò AHERIM vocat, vtì híc Exod. XX, ij propriè sunt posteri dij, vt qui post vnicum DEVM emergũt, anteq; ipsum non fuerũnt: Modò vocat deos ZARIM, vtì Psalmo LXXX, propterea quòd ad DEVM siue ad nos non pertineãt, verùm sint alieni & ignoti: immò prodeant huc, tanquàm DEVM diuino priuare honore, eumq; sibimetipsis asscribere volentes. Tertiò vocat deos HADASIM, vtì Deuter. XXXII, propterea quòd sint recèns excogitati, vaneq; ab hominibus adinuenti. Hui deos illos, quorum optimus titulus est, quòd posteros, quòd alienos, ꝙque nouos deos vocari oporteat: aut quomodò eos Germani appellare solent, Abgötter/ propterea ꝙ procùl à siue ab, immò potiùs absq; DEO sint. Item Afftergötter/ Nachgötter/ Nebengötter/ Beygötter/ quæ præpositiones omninò efficaciter, quidnam dei-

tatis habeant, secum adferunt. Sonant em̄, si quis ità loqui velit, Subdeos, Postdeos, Præterdeos, Condeos. Quod eapropter assigno, vt literalis popularium verborum radicis eo certiores simus. Et quod hîc appēdet, Præter siue Pro me: potest etiam dici, Contra me, siue Apud me, siue Ante conspectum meum. Hic enim est ipsissimus sensus, quòd inter om̄es creaturas nil sibi DEVS vult assimilatum, siue natum id sit, siue cretum, siue factum. DEVS est absque similitudine, quum ipse tantùm sit DEVS, omnium rerum creator: ideoq́ue nullū ante se deum cernere valens. Septuaginta legunt; Præter me, hoc est, Absque me, Sup me. sicq́ue habet etiam Origenes libri 4. Regum cap. 23. vbì & hoc ALPENE es inuétus. Iam DEVS mandata sua à summo incipit, videlicet à seipso, & prohibet idololatriam, vtì maximum in terra peccatum. Ipse tantùm est ac vult nobis sat DEI esse, sicutì mas vnus vni probæ mulieri sat maris existit. Quod alibì vspiàm est, DEVM se nominans, nominaríve sinens, in cælo siue in ter-

ra, hoc neque DEVS est, neq; esse potest: sed diabolus vtiquè, sub titulo DEI furato, sit oportet. Hoc mandatum primi omnium transgressi sunt, quibus præcipuè ipsum in monte Sinai datum erat. Nam cùm Moses terga paululùm vertisset, statuêre sibi alios deos, nempe vitulum cõflatilem: eique nomen DEI appropriârunt, DEVM côuiciosè & horribiliter offendendo, Exod. 32. Eum vitulum Aegyptij vocabant Apin. ab ijs Israelitæ talia didicerant, sicutì quidem omnis idololatriæ origo, ab Ethnicis primùm inter Israeliticũ populum cœpit. Eapropter totiès meminit sacra scriptura de gẽtilium idolorum abominatione, qua Iudæi vulgò ferè polluti erant, ad viuẽtem vnicumque DEVM in se amaricandum: Quemadmodùm vbì de Baal ait, & de Astaroth, de Berith, de Cemes, de Dagon, de Moloch siue Milchon, de Miphlezet, de Baalzebub, de Rimmon, de Cion, quod Septuaginta Repha, sanctus Lucas Rempha nominat Act. 7. de Nisroch, de Sochoth Benoth, de Nergel, de Asima, de Nibehas & Thartak, de

Bel, de Nebo, de Gad siue Fortuna, de Meni siue Numero, de Thamno siue Adonide, de Astharte, de Diana, de cæli regina seu cælestibus sideribus, de Solis libra, de Solis templo, de talpis & vespertilionibus &c. Et inprimis multa narrat de aureis Hieroboæ vitulis, quos satan inter Iudæos īfelices rur sùm erexit, postquàm Aaronis tempore pri mùm excogitati, tamen etiam deleti erant. Præter omnes istos, quorum scriptura men tionem facit, fuerũt inter veteres Ethnicos olìm adhuc multo plures diabolici dij, ac pro DEO culti fuêre. Principiò erat Sol, quem Persæ pro vnico DEO seruabant, ipsumq; Mythram nominabant, plerique Apollinem siue Phœbum, pleriq; Osirim. Post hunc erat Luna, eam vocabāt Isidem. Deindè Nubes, quas Socrates adorabat, ve rùm irridēdo. Vniuersa eiusmodi nominat Scriptura militiam cęli. Deincèps erant Phi losophorum dij. Thales Aquam pro DEO tenebat, Heraclitus Ignē, Anaximenes Aērem, Plato Stellas, itē Angelos. Quanquàm alij erāt, qui nil certi de dijs tenere aut sci-

re

re possent, vtì Protagoras: nonnulli erant, qui nihil omninò de dijs seruarent, vtì Diagoras &c. Plerique asserebant multos esse vulgares deolos, sed vnum esse ipsissimum. Plerique numerabant octo deos. Pleriq; naturalem potētiam DEVM esse dicebant. Plerique concorditer deos in dubium vocabant. Et ob id philosophus Stilpho semèl interrogabatur: An, si dij essent, precib⁹ & cultibus hominum gauderent. Immò Bion philosophus liberè, deos nō esse, dicere audebat. Ibì Metamor. libr. 13. ait Cyclops ad Galateam:

Nam vos narrare soletis,
Nescio quem regnare Iouem.

Plerique dicebant, esse quidem DEVM, sed nihìl, quid in terris ageretur, curare. Plerique dicebant nasci deos, ac rursùm interire. Plerique aiebant, Deum esse mentem ab om̃i mortali contagione liberam. Inter hos Cicero erat optimus. Præter omnes istos erāt etiam homines pro dijs habiti. Ibì erat vetus ille morio Saturnus, ibì Ianus, ibì Iupiter, ibì Mercuri⁹, Aegyptiorum Thoth,

ibì Neptunus, ibì Triptolemus, ibì Faun⁹, ibì Vran⁹, ibì Sangui, ibì Diafores, ibi Quirinus, ibì Tibilenus, ibì Viridianus &c. Similiter & meretricem Venerem, Iunonem, Mineruam, Hecaten &c. pro deabus habebant. Prætereà pro dea haberi oportuit & Floram, quam bonam deam vocabant. Ibì alia quædam, Fortuna parua dicta. Ibì quędam à ferendo Sera dicta. ibì Segesta à segete, ibì Fatua à fato, ibì Lucina à luce, q̃ pueris gignendis opitularetur. ibi Larunda à Laribus, quæ vniuersa domi quieta redderet. Ibì Cunia à cunis, quæ pueros in cunis seruaret. Ibì Fornax, cuius festa, Fornacalia dicerentur. Ibì Mutinus, adolescentiũ spõsarũ deolus. Ibì Muto, ibì Pecunia, quã postremam sanctus Augustinus ponit. Excogitauit etiam Gẽtilitas, iuxta suam tenebrosam sciẽtiam, bonos ac malos deolos, eisq; reuerenter seruiuit. Bonæ deæ erant Virt⁹, Honor, Fides, Pudicitia, Cõcordia, Victoria, Pax, Opis, Anteuorta, Postuorta, &c. Has colebant, vt sibi ad liberalitatem adessent, seque in honore seruarent. Mali dij

deęq;

deæque vocabantur, Iniquitas, Rubigo, Febris, Pauor, Turpitudo, Libidina à libidine, & Volupta à voluptate dicta &c. Has colebant Græci paritèr & Romani, nè suo honori, valetudini & statui nocerēt. Minutiores deos colebant Aegyptij, velut Ibin, Crocodilum, Serapidem, Allium & Cepe. O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis &c. Attamen tot & eiusmodi plures dij, sat ipsis nō erant: sed quidam principes faciebant sibi peculiares pro semetipsis deos: sicutì Romulus Consum, Tatius Cloacinam, Adrian' Antinoum: quomodò & scriptura de Micha narrat, eum sibimet ꝓprios deos fecisse, &c. Immò ethnici imperatores volebant & se deos esse & vocari, quemadmodùm Caius: cuius stultitia Iouem se Latialem vocabat, ac pro eo adorari sinebat: curabatque, vt sibi Romæ peculiare templum strueretur, in quo sua ex auro statua stabat, vestita quotidiè sicutì ipse vestiretur. Talis erat C. Caligula, qui primùm se benè gerens, posteà in ipsum etiā satanam euadebat. Item Domitianus & Cōmo-

modus Antoninus, qui offerri sibi tanquã Romano Herculi sinebat. Achilles, vtì Plutarchus scribit, in Epiro quasi DEVS colebatur, perque totam Siciliam Adrianus. Domitianus audebat epistolarem formam (inauditam) proponere, ac de semetipso ità ponere: Dominus & Deus noster sic fieri iubet. Diogenes Laërtius ait, Cretẽses Epimenidi, diutino illi dormitori, tanquã DEO sacrificâsse. Sic & Nabuchodonosor à suis Aulicis Deus appellabatur, Iudith V. &c. Erant qui haberent priuatos deos, vrbium, agrorum, militiæ & nauium cognomento vocatos. Talibus ethnicorum & tam horribilibus erroribus satanas (omnium deorum & idololatriæ radix atque origo) contentus non erat: sed audebat etiam plures q̃ vnum DEVM inter Christianos excitare; Indè est quòd hæreticus ille Valentinus triginta deos faceret, pindè atquè Varro Cynicus anteà trecẽtos Ioues commẽtus erat; hinc Manes hæreticus, qui duos deos seu principia dogmatizabat. Temporibus sancti Hilarionis colebatur Gazæ satanicus q-

dam

dam deus, Marnas appellatus. De multiformibus Mūdi dijs siue diabolis, item eorum festis, altaribus & oblatiōibus, legitur plùs quàm sat est in Saturnalibus Macrobij & Ouidij Fastis. Carthagine venustū quoddam tēplum Dido quondàm struxerat, picturis tam viuidis ornatū, vt Aeneas ijs visis, temperare sibi à lachrymis non posset. Troiæ suum erat Palladi seu Mineruæ templum. Delphis suā Apollo ædem habebat, vndè sic ait Aeneas:

Tēpla dei saxo venerabar structa vetusto.

Præter hoc, factū est quòd noua propemodùm idololatriæ species, per eundem DEI hostem satanam, inter nos multiformi cultu, qui solū DEVM decebat, & tamen creaturis tribuebatur, emersisset. Eccè, quomodò contra hoc primum DEI mandatū, Malus ille totum Mundum cōcitârit, tamq; lōgo tempore innumerabili idololatria occupârit: præterquàm quod per imagines patratum est: qua adinuentiōe diabolo suum regnum nō parùm est auctum. Quid enim apud ethnicos omnes vulgarius fuit, quàm

quòd ſtatuas, hominũ manibus factas, ado râſint & honorârint? Quis verò poteſt rudior error, palpabiliorque dementia eſſe, quàm aurum, argentum, ęs, lignum, lapidẽ & colorem, adorare ac reuereri? Aduerſùs hanc multifariam gentilium idololatriam ſanctus Paulus ſcripſit Rom. 1. dicens, quẽadmodùm ipſi in ſua grãdi Philoſophia facti ſint ſtulti, in hoc, quòd incorruptibilis DEI honorem, commutârint in imaginẽ corruptibilis hominis & auium &c. Tangitque deos etiam Gal. 4. vbi ſcribit, quomodò Galatę primùm ſeruiêrint ijs, qui na tura dij nõ eſſent. Immò 1. Cor. 10. eos etiã dæmonia vocat, ſtatimq́; pòſt Cap. 12. muta ſimulacra. Ad Theſſalonicenſes, eos etiã ſimulacra nuncupat. Similiter Stephanus Act. 7. & Concilium illud Hieroſolymitanum Act. 15. & 21. Nam indigni erant q alio vocabulo appellarentur. Neque ſanctus Io annes eos honeſtiùs nominare voluit, vbi nos ab eorum fide abſterret, 1. cap. 5. Dauid contra gentium deos canit, nominatq́; eos ELILIM, hoc eſt, idola, quod Septuagĩta εἰδώ

μα

ὄνια reddunt Psalmo nonagesimosexto.&
Paralip.16.de his etiam canitur.Hieremi-
s conuiciatur eis etiam in suis Iudęis,testa-
urque quòd DEVS non sint,cap.2.sicutì &
ex Ezechias in oratione sua ait: Non erāt
lij,verùm fabricata manibus hominum li-
gna & saxa,4.Regū 19. Moses appellat eos
EDDIM,hoc est,diabolos,Deut.32.& Leu.
7.nominat eos SEIRIM,hoc est,pilosos syl-
eestresq; diabolos, quales etiā Esaias ipsos
vocat, & Septuaginta tales iam dæmonia,
am μάταια, id est, inanitates interpretan-
tur.O quàm pulchrè attingit insalutiferos
deos Propheta Esaias cap.40. 42.44.45.
46.quàm irridet eos? quàm subtiliter eos
depingit, idque haud indignè? Vide num
eisdē miseris ac mortuis simulacris Hiere-
mias parcat, præsertìm cap.10. Rex Dauid
sua cithara benè cecinit Psalm.113. & 134.
vt ob id oṁis idolorū cultus iustè interci-
dere debuerit. Cōtra maledictos deos scri
bit etiā Ezechiel cap.6.8.14. & Oseas cap.
3.8.10.11.14.& Amos cap.5. & Micheas cap.
1.& Zacharias cap.10.& 13. Adeò penitùs

excæcati erant veteres Ethnici, vt crederent à deo esse, quandò rari aliquid per seu iuxta dæmōiacas statuas fieret, velut cùm Fortunę idolum (quod mulieres ex deuotione fieri curârant) sanguineas lachrymas fleret ac sudaret, diceretq; nescio quid. Talia Plutarchus in Coriolano defendere audet, sed magìs, quàm erat tam sapiente doctoq; viro dignum. Item vbì Iouis apud Olympiā statua deimprouisò ridere inciperet, ad insinuandum, quòd callidus ille vir, minimeq; principis vocabulo dign9, C. Caligula mortuus esset, cui9 gratia ridere atque lætari dignè liceret. Optemus in vniuersum omes contra falsos deos, per quos satan multos homines, inter ethnicos paritèr & deficientes Iudęos, ad se traxit, & cū Hieremia dicamus: Dij qui neque cælum neque terrā fecerunt, extinguantur. Amen.

Neque verò hìc solùm deorum fides ꝓhibetur, sed etiā deorum cultus, sicut Mosis deindè verba sonāt: Non adorabitis ea, neque seruietis eis. Primò, nos neque faciemus vlla, neque fieri (procurabimus aut)

per-

ermittemus. Deindè, neq; assumemus ea. Tertiò, neque credemus in ea. Quartò, neque confidemus in eis. Quintò, neque honorabimus, neque timebimus ea: verùm si inter nos fuerint, à nobis proijciemus, sicutì iubetur Gen. 35. ac Iosuę 24. Dauid omnibus deos (facientibus, aut ꝓcurantibus, aut quãtùm in se est) fieri sinentibus, eisq́; confidentibus optat, vt similes illis fiant, nempe stipites & caudices, qui nec videant, nec audiãt, tametsi & oculos habeant & aures, Psal. 113. Eapropter caueret sibi quisq; sub inclementiæ DIUINĘ pœna, nè imaginationem vllam adoraret, neu creaturæ vlli diuinum exhiberet honorem. Idololatria sæpenumerò apud Hieremiam, Ezechielem & Oseam, fornicationis vocabulo, per DEVM vituperatur: propterea quòd ipsa homines occupet, eos post se trahat, eosq́; oblectet, velut communis mulier adolescentem aliquem illicere solita. DEVS est vir noster, cui fidem & fidutiam candidè seruare obligamur. Si defecerimus ad alienos deos, iam fidem in DEVM adulterauimus, meræque

 ani-

Animarum nostrarum meretrices factæ sumus, sic, vt DEVS, primus ac ver⁹ coniūx, nauseam & horrorem à nobis sit habitur⁹. Nam quomodò locum apud eum possem⁹ habere, si coniugium spirituale adulterauerimus? An putamus DEVM esse veluti quosdam viros, qui fornicantibus suis vxorib⁹, conniuere, vigilantique (vt ait ille) naso stertere nôrunt? Nihil minùs. Nam DEVS est, itaque dici vult, zelotypus: hoc est, serius ac strenuus coniunx, qui suam sibi fidem coniugalem vult seruatam: qui æmulatur & obseruat vxorem suam, nè debitū ipsa suum præuaricetur. Ad hæc fortem se vocat, vt qui se de nobis vlcisci, nostraque adulteria, quum debeat, rependere nobis possit.

Pari modo vetitum hîc est, nè alijs tēporalib⁹, mūdanis, ac malis rebus idololatriā exerceamus. Nam scriptura Apostolica plures adhuc numerat Postdeos, qui neque in Dan aut Bethel, neq; in Excelsis aut Condensis, neque sculpti aut picti stent in templis aut nobis: verùm qui prope nos sint, q

nō

on solùm intùs apud nos sint domi, sed
qui nobis in hoc mortali corpore adhære-
nt, sic vt præceptum hoc difficulter omni-
nò seruare præ ipsis queam⁹, nisi virt⁹ DEI
nobis cooperetur. Qui vocātur ergò ij? Di-
abolus, Auaritia, Vēter. Istos alienos deos,
ait DEVS, præter me non habebis. Vis scri
pturam quòd & ij vocentur dij? 2. Cor. 4.
Deus huius seculi &c. Is est satan, qui etiam
princeps huius Mundi vocatur, Ioan. 12. itē
rex, Matt. 4. Et sicutì Mundus vnum pro-
prium deum habet, sic habet & spiritum
vnum peculiarem. Cæterùm id nos Chri-
stiani nolimus, 1. Cor. 2. Prudentiam item
suam habet 1. Co. 3. De Auaritia habes Eph.
5. Auarus est idolorum cultor &c. Hic de-
us alibì dicitur Mammon, Matt. 6. Veteres
ethnici vocabant Plutum, quod Latinè di-
uitias sonat. Isti deo, & nostro vnico DEO
paritèr seruire nemo potest. De ventre ha-
bes Phil. 3. Quorum Deus venter est. Et Ro.
16: Huiusmodi non Domino IESV Chri-
sto seruiunt, sed suo ventri. Qui iam caue-
re sibi à visibilib⁹ ac rudibus idolis potest,

is cauendum sibi & à tribus istis subtilibus nôrit: videlicet nè diabolo seruiat, malè credendo, ac superbiendo: neque Mammoni, pecuniam appetendo & quenuis excoriando: neque ventri, ingurgitando & vorando, delicijsque corporis obsequendo. Ad hoc, prohibita hîc est peregrina doctrina. Nam sicut nulli alij dij, pter nostrum vnicũ DEVM, nobis sunt habendi, ità nec vlla alia doctrina nobis assuméda est siue audienda, præter illam solam, quæ nostri vnici est DEI. Eapropter vnicum est mãdatum, Non habebis peregrinos deos: &, Non habebis peregrinos Doctores. Peregrina doctrina vetita est Heb. 13. Quæ etiam alia doctrina vocatur 1. Tim. 1. Sicut & dij peregrini sunt, quos nôsse non debemus, Deu. 32. & alij post siue vltra DEVM, q nobis sunt contemnendi, Mat. 6. Peregrina doctrina meritò hîc est vetita, cùm ex ea omnis idololatria fluat. Quis enim idololatriam exercet, nisi qui eam anteà per auditum didicerit? Hinc Moses adeò strictìm falsos pphetas audiri vetat, etiam qui magna præstare

que-

ueant, sed vniuersa eò destinantes, vt populum ad alios deos ac deliramenta perducit, Deut. 13. Hieremiasque & Ezechiel summè contra eiusmodi nouos ventidoctores nubis vtũtur. Fidelis DEI puer, nullam aliam legem neque euangelium accipit, nisi Christi IESV, Gal. 1. Nam qui ex DEO est, verba DEI audit, Ioan. 8. Præter falsam arrepititiorum hominum doctrinam, hîc etiam deijcitur om̃is perfidia & diffidẽtia, quodcunque habeat nomen. Nam qui in aliud quid credit, quàm in verbũ DEI, is in alios deos credit. Ideoq́ue nõ solùm non credemus anilium fabularum ac somniorum delirijs, sed eadem fortiter etiam aspernabimur. Nec item credemus, satanam aut malos homiues nocere nobis, absq; DEI permissu, valere. Damnabimus omnem præstigiatoriã artẽ, omnes magicos libros, om̃em diuinationem, om̃em è manibus ominationem, omnem à mortuis vaticinationem, omnem ex aqua præsagitionem, auguria, ethnicas extorum inspectiones & oracula: breuiter, om̃em diaboli in aduersis opem.

Nobis Christianis hîc est vetita pars bona philosophiæ gẽtilis, curiosis & inanibus artibus subnixa, Act.19. De huiuscemodi philosophia habes Coloss.2. & Hieremiæ 10. dicitur: Vijs gentium non assuescetis. Aut sic, Iuxta morem gentium non discetis, & à cæli signis non timebitis. Vide consimile DEI verbum Esa.47. Nam huiusmodi eloquia scripturæ, ad hoc pertinent mandatũ. Et super omnia nobis hîc iniungitur, vt nil etiam fidutię ponam⁹ in creaturis, siue sint angeli, siue sancti, siue homines superioris aut inferioris statûs: in nullis benedictionibus, cæremõijs, medicinis, fortitudine &c. Id enim facimus nobis quasi peregrinũ deum, in quo confidimus, aut quod in opportunitatibus loco DEI propter opem implo ramus. Itaque vniuersos Postdeos prouidè vitemus, neq; faciamus vt Hieroboam, neque item vt Salomon, qui per mulieres Sidonicam idololatriam sibi persuaderi permisit; non etiã vt rex Ochozias, cõsilium à Beelzebub in Accaron inquirens, quasi in Israel DEVS non esset. Nullos prętereà fal

sos

os prophetas, nullos peregrinos doctores, etiamsi DEVM eiusq; verba summè iactitent, audiamus. Calcemus pedibus nostris quodcunque se aliena scientia, annunciatione, consilio, solatio &c. contra seu iuxta DEVM ponit. Sanctus Paulus hoc primũ nobis præceptum concludat: Nè efficiamini, ait ille, idolorum cultores, sicutì quidã ex ipsis (Israelitis) erant, 1. Cor. 10. Apostolus idem contra idololatriam omninò grauiter etiã in Græcia prędicauit, Act. 17. hoc est, aduersùm Postdeos. Iam, vult DEVS tãtùm alios nobis deos prohibitos, nõ etiam se, vnicũ illum, iussum? Absque dubio. Nam vbicunquè malum vetatur, ibì consequenter bonum exaduersò iubetur. Certè aliquid (quod colatur aut veneretur) habeamus oportet. Si verò nullos habebimus deos, dignè habem' DEVM, qui spiritus est, Ioan. 4. in quo viuimus, mouemur, & sumus, Act. 17. qui ἄχρονος, hoc est, sinè tẽpore est, sinè principio, & sinè fine, vnic', viuus, immortalis, ęternus, verax, bonus, sapiens, nõ fallens, fortis, diues, potens, amabilis: DE-

VS inquam, à quo, & per quem, & in quo ſunt omnia: ipſi honor in ſecula. Amen.

In hoc autem quod DEVS iam ait, Nō habebis deos alios: ſuggerit intelligēdum, Me ſolum DEVM habebis. Siquidem ego ſolus te & omnia creaui, alo, cuſtodio, ſeruo. Ego ſum patrum DEVS, antiquus DEVS, DEVS in cælo, DEVS in terra. Abſque me nō eſt deus, non etiam pręter me. Mihi ſimilis nemo eſt. Propterea meum eſt regnū, meus eſt honor, mea eſt potentia, meum eſt iudicium, mea eſt vltio, mea eſt ſalus. Nullo amplius deo indiges, ſicuti nullus etiam amplius eſt. Ego ſolus oīa poſſum, vti ſolus etiam ſum: ſolusq́ue in cælo & terra peragere noui, quæcunque DEVM peragerę decet. Quomodò igitur, per quid, aut in quo nobis DEVS ſolùm habendus? In fide, in fiducia, in charitate, in timore, in honore, in laude, in annunciatione, in glorificatione, in confeſſione, in cultu, in obedientia &c. Talia in multas de DEO prædicationes ſe diuidunt, ac notabiliter magni quid eſt.

CONCLVSIO:

Ado-

Adorabis DEVM Dominum tuum, eique so
i seruies: Deut. 6. Mat. 4.

## MANDATVM DEI SECVNDVM:

## Non vsurpabis nomen Domini DEI tui in vanum.

IN textu Mosaico habet, Sumere: quod nos hîc, vulgaris nostræ (Teutonicæ) loquelæ gratia, Vsurpare dicimus. Et est ista Hebræorum ꝓprietas, vt Sumere, pro Eloqui, interdùm ponant, quemadmodùm & Hier. 7: Nullam pro eis orationem sumes, hoc est, loquéris. Et Psal. 14: qui cõtra proximum suũ, nullum cõuicium accipit, hoc est, loquitur. Et 2. Par. 6: Si quis iuramentũ acceperit aduersùs proximum suum &c. Propter clariorẽ igitur intelligẽtiam, huic verbo interdùm id apponitur, quo seu per quod, Sumere istud fit, nẽpe os, velutì psalmo 49: Cur assumis testamẽtum meum in (seu per) os tuum? hoc est, Quid habes de

opere meo loqui? Aut cor, vti Ezech.3. Ser mones meos assume in cor tuũ &c. Aequè horum verborũ similia, quæ hîc Exod.20. & Deut,5, sunt, inuenis Psalmo 23: Qui nõ accepit in vano animam meam. Quod Dauid ferè ex isto præcepto mutuat' est. vt sit sensus, EUM esse probum, qui DEUM ad res vanas in os non sumpserit. Atq; super hoc statìm sequitur in eodem versu, de iurãdo. Quòd verò DEUS semet Animam meam vocat, non est rarum Esaiæ 1. & Hiere. 51. Dictumque est istud secundùm Hebraicæ lingue formulã, in qua sæpè, Anima mea, tantum est àc si dicas, EGO: &, TUA Anima, perindè quasi dicas, Tu. &c. SAVE hîc dicitur, quod Frustrà apud Latinos, Vergeblich apud Teutões vocatur; nẽpe aliquid quod vanè seu nullam ob rem fiat, & vndè nec is qui facit, nec is cui fit, commodum vllum habeat; immò vndè citiùs damnũ & perditio sequatur, Ità capitur Psalmo 62: Ipsi verò in vanum &c. Item Psalm. 126: In vanum laborauerunt &c. & paulopòst, Frustrà vigilat &c. Item Matt. 15, Sinè causa (seu frustrà)

ſtrà)colunt &c.Interdùm quandò prophetæ vehementia vtuntur,ponunt in vno ſermone plura verba,quæ tantundem ſignificent,atquè iſtud SAVE. Eſaias cap.49. RIK, TAHV & HEBEL,eodẽ penè in ſenſu ponit, dicẽs:In vacuum laboraui,ſinè cauſa & vanè fortitudinem &c. Quemadmodùm etiã Zacharias SAVE & HEBEL,cap.10: Loquuti ſunt fruſtrà,& vanè conſolabant̃. Ex hoc textûs nucleo quærẽdus intellectus, quem reuerà hũc eſſe oportet, DEVM prohibere,nè ſanctum nomẽ ſuum in vano ſermone & inutili cauſa proferatur,vbi talis prolatio vel mẽtio nulli homini laudem ferat: ſed vbi multo citiùs fiat, vt per talem ſumptiõem aut vſurpationẽ, DEI honor apud homines decreſcat,eiusq; actio in neglectũ vergat: præter incommodum aut periculũ illud, alioquì inter nos emergens, quandò nomẽ DEI noſtris in negocijs aliter,quàm vtendum eſt,vſurpamus.

Nomẽ DEI ſæpè nominare,eſt quidẽ, ſed difficulter,bonum. Fructuoſè quiuis hoc non facit. Maxima pars quę hũc ſe aſ-

suefecit, vanè facit, nominās DEVM, DEI verbum, DEI potentiam, DEI auxilium, DEI fauorem, DEI passionem, DEI cerebrum, DEI angustiam, DEI corpus, DEI vulnera &c. om̄ia verò inaniter, immò flagitiosè, omittere per tempestiuam desuefactiōem facilè (si voluerit) potens. Sæpenumerò DEVS, alterum quodque in sermone quotidiano verbum sit oportet. Factumq́ue est nunc ciuile & moralè, si dijs placet, DEI nomen identidèm immiscere: neque sermo vllus tam est dissolutus, tam dolosus, tam inutilis, tam scelerosus ac damnosus, in quo nomen DEI, ad suæ æternæ Maiestatis desecrationem, non oporteat adesse. Ergò prohibitum est. DEVS est ac vult honorabilis haberi. Vult nomini suo Reuerendissimo parci, memoriamq́ue suam inter nos celebrem haberi: sic, vt nomen eius absque causa nominare, quum tam valdè sancta res sit, non debeamus. An est quisquam hominū om̄ium, qui æquo animo ferat, nomē suum ità circūduci, quemadmodùm nomen DEI circumfertur? Fit ei non aliter, quàm si immu-

da ſus, aureum multi precij pannum, in hara circunuoluat. Quomodò DEVS hoc inultum ferre poteſt? Eſt'ne DEI nomen ſuper omne ſanctum ſanctorum, ſummásque reliquias? Quî poſſit ergò ipſum, nō ſinè maximo ſcelere, noſtra lingua deſecrari? Tum verò nominandus eſt nobis DEVS, quum eius honor, noſtraq; ſalus & vtilitas id poſcunt. Nominādusque eſt cum exhibita reuerentia, ſobrioque ac ſerio ore, per quod homines cuncti, etiam infideles, agnoſcāt, nos de DEO rectè ſentire, ipſum magni pēdere, ipſum apud nos omī honore dignari. Ratio: Nomen DEI eſt inclytum & tremendum, Deuter. 28. & magnum, Ioſuę 7. Hiere. 10. & mirabile, Iudicū 13. & ſtupendum, Pſal. 8. & ſanctum, Pſal. 111. Ezech. 39. & laudabile, Pſal. 112. & æternum, Pſal. 134. & altum, Eſa. 12. & benedictum, Dan. 2.

Quod eſt ergò nomē DEI? EHEIE, Exodi 3. & 4. Hoc eſt DEI naturale ac rectum nomen, ab HAVA dictum. Nam DEVS ſemper fuit: eapropter HAIAH vocari poteſt. Secundò, DEVS adhuc eſt: ideò HOVEH dici

valet. Tertiò, DEVS ſemper erit: indè ſemetipſum EHEIE appellat. O quæ hominũ lingua nomen hoc nobis exponere queat? Quòd autem hîc ſe à futuro tempore nuncupat, ſolatio nobis eſt maiori, cùm per id intelligam⁹ & credamus, eius ESSE nullum futurum finem: non enim vnquàm deſinere poteſt eſſe DEVS, ſed per ſecula ſeculorũ manet ſemper DEVS. Ità canit Dauid: Tu DEVS manes qui es, & anni tui non deficiunt. Id vocatur, Ego Ero: quod nomen nullus mortalis homo obtinere valet, etiamſi tam ſublimis ac magnus ſit, vt vel capite cælum attingat. Exodi VI. appellat DEVS ſuum commune nomen ADONAI, quod tamẽ adeò ſanctum, inclytum ac precioſum eſt, vt omnẽ ſenſum excellat. Eſaię 42. ait ipſe: Ego Dominus, hoc eſt nomen meũ ADONAI. Sed excellentiſſimum & precioſiſſimũ nomen (quod per circunlocutionem τεξα‑γξάμματορ, id eſt, quadriliterũ dicitur) habet originem ſuam à nomine ſuperiùs Exodi 3. audito, mirabiliterque comprehendit, DEVM fuiſſe, eſſe, & fore. Nam propterea

eà hoc ſacroſanctum nomen ſic quatuor li
teris, quæ tamen legi non poſſunt, eſt com
præhenſum, vt ob magnitudinem ſuę ſan-
ctitatis ac maieſtatis, à rudibus hominibus
& abſque cauſa innominatum maneret.
Quandò nomen hoc tempeſtiuè & hono-
rificè exprimitur, à ſe quaſi ſuauem quendã
odorem in Animas noſtras, virtutem & vi-
tam per ipſum conſequentes, mittit. Vndè
& ſponſa rectè ait: Nomen tuum effuſum
eſt balſamum, Cant.1. Quòd verò DEVS,
vtì dictum eſt, mandatum iſtud hoc loco, p
dictiones iſtas, fruſtrà ſumere aut vſurpare
nomẽ ſuum, edit, neque ad quidquam ſin-
gulatìm adſtringit, verùm ſinit in commu-
ni aduerſùm cunctos inutiles ſui nominis
vſus iuſſum eſſe: nihil impedit, quo minùs
etiam nominatìm contra aliquot vitia ordi
nari poſſit. Et ſi quis ex illis, qui ſingularem
in verba Scripturæ attentionem habẽt, nul
lam hîc ſpeciem admittere velit: eccè, cogit
tamen eos, quòd aliâs multa legũt, quomo-
dò nomen DEI indecenter tractandũ non
ſit, quod eſt certè hoc mandato vetari &

cor-

corripi intelligendum, cùm etiam nostra p̃dicta doctrina, fermè, quicquid peccatum est, sub his Decem Mandatis concludat. Ideoque hîc, absque contortione, triplicia rudia peccata, quę circa nomẽ DEI committuntur, prohibentur. Primum horum est blasphemia, cùm quis ex ira aut superbia DEVM in cælo execrari, maleque de ipso loqui, quemadmodùm homo de homine sępenumerò loquitur: eique illudere & medium digitum ostendere ausit: quod vel audire, supra modum om̃em abominabile sonat. Cæterùm quia conuiciari istud, multis modis fieri potest, idcircò maiori hic solicitudine & formidine est opus. Moneat nos Hebræus (immò semiægyptius) ille, de quo scriptum est Leuit. 24. quòd blasphemâsset nomen DEI, eique maledixisset: quod peccatum fiebat contra mandatum istud, cùm pœna sequeretur post minas illas, quòd DEVS eiuscemodi non sineret impunitum &c. Quemadmodùm etiã nec Goliath illi condonabatur, quòd nomen DEI, eiusq; exercitum Israëliticum adeò contumaciter blasphe-

ſphemâſſet, 1. Reg. 17. Talis cõuiciator DEI fuit Rabſaces Aſſyrius. Hei, quanta erat in hoc nebulone audacia? Lege de hoc, quarti Regum 17. Etiã latro ille ſiniſter DEVM blaſphemabat, non ad ſalutem ſuam, Lucę 23. Ad hoc, Iudæi in Caiphæ domo, Lu. 22.

Hæc blaſphematio diuidit ſe in maiorem iniquitatem, velut ſi quis DEO abrenunciet, nomenq; DEI, fidem, verbum, ac myſteria abneget, ſicut apoſtatarum eiuſcemodi olìm multùm erat. Nam tales etiam blaſphemabant, vtì in Alexãdro & Hymenęo liquet, 1. Tim. 1. Aut ſi quis nouas ſectas & hæreſes contra DEVM exuſcitet, quod ſanctus Petrus etiam blaſphemiam nominat, 2. Petr. 2. Quanuìs enim aliquis fortè nomen DEI, inſtàr Goliath & Rabſacis, non maledicat, tamẽ ſi veritatis Diuinæ viam blaſphemet, conuicietur & abominetur, rectè blaſphemus, huiusque præcepti tranſgreſſor, habendus: quales adhuc quidem in Eccleſia aliquãmulti ſunt, ac potiſſimùm hodierni ſectarij, qui DEI nomen & verbum, iuxta petulantiam ſuam, circunducunt. Si ta-

les & tam multifariæ blaſphemiæ illis igno
ſci poſſunt, ego non inuidero. Secundum
ſcelus eſt periurium, quandò quis falſò iu-
rat, ac per DEI nomen deierat, vultque ſub
nomine bono, quod quiſque reueretur, ꝓ-
ximum ſuum fruſtrari, contrà quàm Leuit.
19, Pſal. 23, Zach. 5 & 8, Malac. 3, iubetur.
Quanuis autem ſynagogæ permiſſum erat
iurare, non eſt ideò tamen Eccleſię permiſ-
ſum. Illi permittebatur iurare per DEVM,
Deute. 6. vt nè per deos iurarent, Exod. 23.
Ioſu. 23. Immò Dauid numerat inter bona
Synagogæ opera, quòd iurat quis & non
decipit. Sed exaduerſò nos audimus à Chri
ſto noſtro: Ego autem dico vobis, non iu-
rate omninò &c. Mat. 5. Iac. 5. Niſi fortè qs
ſpiritualis per iuratiõem, qualis eſt Amen:
aut per deuotationem, qualis eſt Anathe-
ma, & Maran Atha, diuinum honorem fir
mare, & inter homines boni aliquid perfi-
cere poſſet. DEI nomẽ precioſius eſt, quàm
quod ad omnigenas mundi ſordes ſit vſur-
pandum. Mundus cum toto eſſe ſuo, nun-
quàm dignus eſt factus, vt eius periturę, ni-
hi-

hili,ſtultæq; res,ſancto DEI nomine ſtabi-
lirentur.Sinatur nomen eius in pace: Nam
eius commotioni acerba alioquì adfuerit
virga. Tertium eſt prophanatio, quãdò
quis DEI nomine ad idololatricam iniquita
tem abutatur. Olim plerique Iudæorũ no-
men DEI, Moloch attribuebant. Hoc di-
cebatur nomen DEI deſecrari,Leu.20. Et
cùm inter gentes correptionis gratia diſper
gerentur,ità ſe gerebãt,vt propter eos ſan-
ctum DEI nomen blaſphemaretur,Ezech.
36.Malac.1. Nam ſic agebant,vt DEVS,ei-
usque nomen,ignominiæ ac fabulę eſſet.
De nomine DEI deſecrando, habes etiam
Ezech.36. Iam DEVS id ſingulariter vetuit
Leuit.19: Nomen Domini DEI tui, ait ipſe,
non blaſphemabis.Quod etiam faciunt ij,
qui nomine DEI,opum acquirẽdarum gra-
tia,abutuntur. ſiquidem nomen hoc nego-
cijs etiã minimè Chriſtianis inſeruire opor
tet.Sunt enim qui nomen DEI canant, qui
DEI verbum prædicent, tantùm vt pecu-
niam & bonos dies aſſequantur.Nunc no
men hoc non ſolùm iurando & maledicẽ-

do blaſphemari poteſt, ſed multo magis p̄ faſcinationes, per tempeſtatum ſuſcitationes, per lactis ſubductionem, per aquæ fuſionem, per ſuffoſſiones, adiurationes, benedictiones, cruces &c. Cuiuſmodi ſatanæ opera omnia, per ſanctiſſimum DEI nomen expediri oportet. O magnam DEI longanimitatem, qua tam diù ferre & adſpicere poteſt, quòd ſublime illud ſuæ ſanctæ Trinitis nomen, adeò blaſphemè, nō tantùm damnoſè & fruſtrà, per ora tam impura ſumatur & eblateretur. Et tamē bona ſunt, aiſit impij homines, verba. EO magìs eadem ipſis in honore fuerant habenda, & non abutēda. Linguæ illis diſſoluerētur, quemadmodùm incantatio ſuam aliâs caſtigationē habet, Exo. 22. Quid illis DEVS fecit, quòd ſanctiſſimū eius nomē adeò inhonorare poſſunt? Cur diabolo nomen DEI mutuò daretur? Si is, deus eſt, cur ergò per ſuum nomen exequi talia non valet? Vltra hoc, inhonorāt nomen DEI, qui ipſum ad callida ſua deſtinata trahunt, carnalia in nomine DEI exordientes, tātùm apparatûs cauſa, vt

molitio ipsorum, momenti alicuius existimetur, Vndè prouerbium non absque ratione factum, Infortunium omẽ se in DEI nomine incipere. Ah quanta huic sancto nomini fiunt dedecora? Ad hæc omĩa, potest nomen DEI non solùm ore, verùm etiam opere blasphemari & execrari, sicuti scriptum est: Vestrî causa nomen DEI inter gentes blasphematur, Esai. 52. Rom. 2. Hoc fit quandò nos impiè viuimus, agimusq; sic, quasi de DEO nihil sciamus. Cùm igitur talia infideles in nobis vident, aiunt: Hiccine est populus DEI? quemadmodùm Ezec. 36 illudunt nobis, DEVMq; per id contemnũt, vt qui tam inutiles homines habeat famulos. Quod incõmodum etiam sanctus Paulus præcogitat, vbì docet benefacere, vt nè (ait ipse) nomen DEI atq; doctrina blasphemetur, 1. Tim. 6. Iam verò boni Christiani non modò non facere debent, quod mandato isto vetat, sed facere etiam, quod mandatum istud prohibendo iubet, nempe vt nomen DEI apud se in verbis suis & factis sanctificét: hoc est, ità viuãt, vt ab vnoquo-

que DEVS per id laudetur. Secundò, vt nomen DEI inuocent, Ioëlis 2. Ro. 10. Nomē enim DEI turris valida, in qua securus quis esse valeat, Pro. 18. Tertiò, vt nomen DEI prædicent & commendent, honorem eius quærendo, Ioan. 17. Act. 9. Quartò, vt DEI nomen laudent, 1. Par. 29. Quintò, vt nomē DEI cantēt, 2. Re. 22. Sextò, vt in DEI nomine sperent, Soph. 3. Septimò, vt nomen DEI timeant, Deut. 28. de DEO libenter audiant, DEVM suo tempore libenter confiteantur, extollant, magnificēt &c. Si Patris, si Filij, si Spiritûssancti inter nos mentio fit, aut nosipsi mētionem eius facimus, siue in templis, siue domi: ostendamus agè ad mīnimū gestu aliquo, nomen hoc nobis charum & venerabile esse. Sanctus Paulus ait: In nomine IESV flectetur omne genu &c. Phil. 2. In memoria semper habeamus verbum MARIAE Domini Matris: Sanctum nomen eius, Luc. 1. Si verò sanctum est, ipsum nobis etiam absque intermissiōe, pro sancto habendum & celebrādum. Si hoc fecerimus, tum nomen DEI nostri benè sumimus ac pro-

ferimus, ſicutì dignum eſt, ipſumque vtiliter & ſanctè vſurpam⁹: quod opus ipſe demùm tam minimè ſinet irremuneratum, q̃ minimè impunitum ſinet perditum et prophanum huius nominis vſum.

## TERTIVM DEI PRAECEPTVM.

### Memento diei ſabbathi, vt ipſum ſanctifices.

NON parùm etiam in hoc mãdato ſitum eſſe conſtat, quoniam nos DEVS vt obliuioſos, propemodùm ſubmonet, & ait: Memento diei &c. quanuìs Deut. 5. ſic ponat, Serua diẽ ſabbathi, eum ſanctificando. Vbì Seruare, perindè ſumitũ, atquè nos etiamnùm dicimus, Seruari dies feſtos &c. SABBATH Hebraicè tantundem ſonat, quantum Latinè, Ceſſare à labore, & ferias agere. Indè ſabbathon requies dicitur, vtì ſcriptũ eſt Gen. 2: VAIISCHBOTH ELOHIM BATOM HASCHEBII MI CAL MELACHETO, hoc eſt, Et feriabatur (ſiue quieſcebat) DEVS ſepti

ptima die ab omĩbus operibus suis &c. Leuitic. 23. dies hęc septima duplicibus verbis omninò gloriosè nominat, SABBATH SABBATHON. Sãctificare, est sanctum seruare, aut singulari DEI cultu sanctè exequi. Contrà, reliqui dies ab eis non sanctificabãtur, quoniam eosdem, absque discrimine, laboribus transigebant. Nam sanctificare, istud Iudaicum, penè conuenit cum feriari, quémadmodùm paulopòst, vbi labor omnis ꝓhibetur, sic, vt apud eos, non laborare, propè tantum sit, quantum sanctificare. Atque sic etiam opinio ea apud quosdã è nostris mansit, vt existiment Dominicum diem à se sanctificatũ, dum nisi à suo labore cessent, etiamsi nihil boni faciant, immò vanitati gnauiter alioquì incumbant.

Hæc dies, synagogę omninò sancta fuit: siquidem & DEO ità placuit, quemadmodùm aliâs multa mandatorum ipsius id ostendunt, Exo. 31. Leuit. 16, 26. Nehem. 9. Hier. 17. Ezech. 20. Adeò etiam, vt præuaricatores sabbathi occiderentur Nume. 15. aut certè ob id grauiter increparentur Nehem.

hem.13. Sequentibus deindè temporibus erga sabbatha magis afficiebantur, adeò vt plerique mori citiùs vellent, quàm sabbathum præuaricari, sicut scriptum est 1. Machab. 2. Postremò omium, nempe circa aduentum & tempora Christi, Iudæi adhuc strictiùs ex sabbatho pédebant, adeò vt inter eos nè spicas quidé ruri vellere liceret, Matt. 12. Cæterùm hoc erat nimię diffidentiæ, & ex hũana traditione (vtì sanctus Paulus eos hanc ob rem culpat) stultè seruatũ. Moses hoc illis non tam strictè & grauiter mandârat, quàm strictè sibimet ipsi mandabant: vndè posteà contentiones & pericula oboriebãtur. Quũm verò Mosis lex vetus, quod ad eiusmodi res attinet, per nouam Christi IESV legem occasura esset: eccè, tum primùm ex hoc legis opere cœptũ est, fortasse propterea, quòd hoc in prima Decem Mandatorum tabula, tanta cum maiestate semper doctum erat. Dominus circũcisionem, festa, oblationes &c. non impugnabat, immò talia ipsemet seruabat. Tantummodò sabbathum identidèm attinge-

bat, actiones suas ferè sic ordinans, vt potissimùm in sabbatho agendum aliquid haberet. In sabbatho curauit eum, qui manũ aridam habebat: & hoc opꝰ suum, item spicarum vellicationem, per discipulos suos factam, stabilibus rationibus & quæ negari non possent, probauit. Lege Matt. 12, Mar, 2. & 3. Luc. 6. Sabbatho curauit mulierẽ incuruatam, idem suum factum etiam excusans, idq́; talibus verbis, vt omẽs q aduersùs eũ fuerãt, erubescere oporteret. Lege Luc. 13. Sabbatho curauit hydropicũ, idq́; etiam tali ꝓbatione, vt respõdere ei nemo posset, Luc. 14. Sabbatho curauit eum qui triginta & octo annos decubuerat, eiq́; lectũ ipsius tollere iussit, id quod laborerat, Ioã. 5. Sabbatho curauit eũ qui fuerat iam indè à natiuitate cæcus, quantunuis Iudæi multùm contra id grunnirent, Ioan. 9. Iam verò qa Dominꝰ talia fecit & dixit, docere suos voluit christianos, ipsos à Mosaico sabbatho liberos esse: quam libertatem deindè S. Paulus latiꝰ prædicauit & descripsit, præsertìm vbi repræhendit eos, qui iuxta indolem Iu-

da-

daicam libenter vidiſſent, quòd Chriſtiani ſabbathum etiam (Iudaicè) feriando ſeruarent. Lege hac de re Coloſſ. 2. & Gal. 4. Et quòd ſabbathi feriatio finem habitura eſſet, DEVS per Hoſeam prophetam tempeſtiuè annunciari permiſit, Hoſeę 2. Nouiſſimè enim diſplicebãt ei Iudaica ſabbatha, vtì Eſaię 1. legis. Ioſua nõ obſeruauit ſeptimum diem, ſed eodem die vrbem Iericho cepit, cap. 6. ad præfigurandum, quòd ſabbathum tẽporibus IESV non ampliùs Iudaicè ſanctificandum eſſet. Poſtremò huc euaſit, vt Sabbatharij etiam à prudentibus Ethnicis irriderentur, quemadmodùm vbì Seneca ait, Iudæos ſeptimam ſuę vitæ partẽ in ſabbathis ociãdo perdidiſſe. Et Iuuenalis ſabbathicos dies, ignauos appellat, ꝙ Iudæi per eos dies ignaui iacerent, nihilque ſe exercerent. Et Perſius ait: Labra moues tacitus, recutitaq; ſabbatha palles. Meminit & Ouidius quodã in loco Iudaici ſabbathi, idq; ſic: Culta Palæſtino ſeptima feſtà viro. Quanquàm etiam longè anteà irriſi fuerũt propter ſabbatha, inprimìs videlicet Babylo-

loniæ, quemadmodùm super hoc Threnorum primo Hieremias plorat.

Eapropter hoc tertium præceptum simpliciter iuxta spiritum, non iuxta literam, nos Christianos ligat. Et si quis de hoc ambigere velit, is sciat, Ecclesiam per sanctum Augustinum ità docere, lib. 2. ad inquisitionem Ianuarij, & lib. 4. de Genesi, & contra Adiman. cap. 16. Ecclesia, dico ego, non tantùm ità docet, verùm ità etiam seruat. Vbì enim audîsti aut vidisti, Christianos septimam sabbathi diem vnquàm feriatos esse? Præterquàm quòd iam emergunt è sectis, qui præceptũ hoc, quemadmodùm literis compræhensum est, seruatum volũt, vtì dicitur, qui & indè Sabbatharij appellari dicuntur. Quanquàm olìm etiam tales Iules Iudaismi sectatores erãt, præcipuè tamẽ vnus erat Sabbathius dictus, magis omninò Mosista, quàm Christianus. Alioquì si nobis mandatum hoc extrinsecùs (aut literaliter) seruãdum esset, oporteret nos nõ dominicam nostram, sed antecedẽtem siue Saturni diem feriari: id verò esset, cum Iudæ-

is, quod nos Christianos minimè decet, feriari. Nos nullam septimam diem agnoscimus, quomodò hîc in Legis verbis habetur: sed octauam diem probè scimus, qui etiam renumerando primus est, Dominicusq; dies vocatur, propterea quòd Dominus eodem die viuꝰ è sepulcro surrexerit, & quòd ideò dies ille sic etiamnùm à nobis honorificetur. Estque nostrum Pascha, huius nostri Dominici diei dedicatio & cõfirmatio prima. Non enim surrexit Dominus sabbatho Iudaico, verùm die (immediatè) pòst sequenti. Atque hinc est, quòd nos eundem diem, vtì vitę diem, honoremus. Quòd verò is Teutonicè Sontag nominatur, è fęce ethnicorum, qui (diem hunc) diem Solis vocabant, reliquũ mansit. Quanuìs plerique Sõnetag dicere velint, quasi in quo se quisque DEO reconciliet, aut reconciliare meritò debeat. Verùm id modò parùm sentitur. Eo die multũ peccati, multo magìs cõperit, sic, vt ꝓpter scelera q̃ illo die impunè cõmittunt, ꝓ Sontag Solis die, aut sõnetag reconciliãdi die, aptè sündetag
pec

peccādi diem vocare quis poſſit. Verùm id DEO ſit conqueſtum.Is videat & emēdet. Noſtri ſolaris diei rectum nomen,vtì auditum,eſt Dominicus (ſiue Dominica) dies, quomodò iam indè ab Eccleſiæ exordio dictus eſt.Nam id nominis Apocalypſeos primo,& in ſancti Ignatij ad Philippeñ epiſtola,clarè inuenitur.Profectò dies iſte Domini,in quo ipſe à morte ſurrexit,ſemper nobis magnam illam Domini diem, in qua & nos à mortuis reſurrecturi,& ad iudicium ituri ſumus,in mentem referret.De noſtro Dominico die,proculdubiò etiam ſanctus Paulus hæc verba dicit:Per vnam ſabbathi vnuſquiſque veſtrûm apud ſe ſeponat &c. 1.Co.16.Hoc autem cum de Dominico die intellexiſſe,conſtat etiam ex Euangeliſtis,q Paſchalem diem (initiū & anteceſſorē noſtri Dominici diei)vnam ſiue primam ſabbathi aut ſabbathorum vocant,hoc eſt, primam poſt ſabbathum diem. Ex eo cognobile eſt, noſtrum Dominicum diem, ſicutì eum ſanctus Ioannes cum ſuo Ignatio nominat,primis Eccleſiæ tēporibus,p̄ alijs diebus

ebus sanctè ac DEO dignè habitum fuisse. Hinc Cæsar Constantinus hunc diem tam splendidè honorauit, eumque ab omnibus forensibus negocijs liberauit, vt eo die tantùm precibus incumberetur. Histor. Trip. libr. I. cap. 9.

Hic dies non ideò solùm nobis est obseruandus, quòd eum Christianitas initiò seruârit, eoq; solùm pacto quod modò audiemus, transigendus: sed ob id etiã, nè nos cõtra familiam, mercenarios & pecora, inclementiores quàm Iudæi erant, videamur. Ipsi sabbathum suum iuxta (figuram siue) vmbram seruant, istaque eorum requies ꝓximis ipsorum in bonum cedit. Et nos idẽ illorum sabbathum, iuxta veritatem, sicuti infrà dicetur, seruamus. Iam tamen necessè est, nos etiam cum nostris secundùm corpus interdùm feriari & quiescere, cùm nil aliud, quàm homines, qui defatigari & lassari possunt, etiam nos simus: neque diù ꝑstare queat, nisi quod laborẽ quiete, ac vicissìm quietem labore commutet. Nunc itẽ nec illud decet, nosmet diem vnum aut al-

alterũ nobis (celebrem) imponere, eũq; iuxta cerebrum noſtrum quaſi requietiõis diem ſeruare. Eãpter nos apud hunc ſeruatum antiqtùs Dñicum diẽ, cũ tota Chriſtianitate maneremus non aliter, quàm ſi nos eò pręceptum Moſaicum obligaret. Naturæ quidẽ lex eſt ac dictat, vt interdùm à labore ferietur, corporique ſua quies indulgeatur, nè per aſſiduum laborem, impos & inhabile reddatur. Benè quidem ac verè dicitur, Ignauis ſemper ferias eſſe. At nos de probis Chriſtianis loquimur, qui cum alijs laborant, cum alijs etiam quieſcunt. Ignau⁹ & cadaueroſus nebulo, ſibi libenter de feriando prædicari ſinit, nè Salomonis leo ipſum in plateis voret. Cæterùm qui rectè inſtitut⁹ eſt, is laborabit & feriabitur, vnũquodque tempore ſuo, Eccẽs 3. neque bonam conſuetudinẽ inuertet, vt feriari quandò alij laborant, aut laborare dum alij feriantur, velit.

Veruntamen noſter octau⁹, hoc eſt, DOminicus dies, ità feriandus, vt eum neceſſitas, quæ nullam hîc etiã legem habet, abſ-

q;

que peccato frãgere queat. Ipse Dominus, sicuti cuiuis notum, excusauit suos discipulos, quòd Mosaicum sabbathum, quod hîc iuxta literam mandatum est, ex necessitate transgrederentur: quãto ampliùs Christiani sunt excusandi, qui pręter volũtatem suam nostrum Dominicum prævaricari coguntur? Si CHRIRTVS Iudaici sabbathi Dominus est, Dominus est & Dominicę Christianæ, Matt. 12. Luc. 6. Prouidendum nobis habemus, nè & nos Iudaizare comperiamur, quos durum à Paulo verbum audire oporteat Gal. quarto, nisi recta hîc fide & intellectu procedamus. Misericordia maior est oblatione. Eiuscemodi dicere audet scriptura Hoseæ 6. Matt. 12. verumque est. Quomodò igitur non esset etiã maior sabbatho & Solari die? Si propter hominẽ sabbathum est factum, nõ propter sabbathum homo: omninò vtiquè Dominicus aut Solaris dies propter hominem est factus, non contrà, Marc. 2. E regionè ij qui sæpenumerò Dominicos & alios penitùs vetustos festos dies absque necessitate & vtilitate pol-

 luũt,

luunt, etiam parùm laudis merentur, obijcientes quidem EUágeliúm, sed tamen auaritiæ spiritu acti, vt se & suam familiam labore macerét, etiamsi nihilo ditiores indè, vtì cernitur, fiant. Quomodò igitur Christiani suum nouum sabbathum, Dominicá diem, sanctificabunt? Responsio: Sanctis negocijs ac sanctitudine conuersationis. Sancta negocia appello, nos diebus Dominicis vnanimiter, quenque in Parochiam suam, cum reuerentia conuenire, ad cófitendum ibì quòd & quid peccauerimus, ad fidem CHRISTI exercitandam, ad precandum, ad gratias agédas, ad glorificandum, ad legendum, ad docendum, ad discendum, ad mortem IESV (iuxta mádatum eius) memorandam, ad eleemosynas distribuendas, ad infirmos visitandos &c. Si hæc negocia puro corde, DEIq; intuitu exequimur, tum nostram Christianæ requietióis diem verè sanctificauerimus. Ethnicos olìm etiam à labore feriari & quiescere, quádò suis dijs sacrificarét, oportebat. Sic enim Numa Pompilius excogitârat & instituerat Romæ. In

pro-

festis (ità scribit hac de re Plutarchus) & oĩnò in sacerdotum festis per vrbem præcones præcedebant, qui iubebant vt quiesceretur & ab operibus desisteretur &c. Hinc ait quidam poëta de ferijs ità:

Luce sacra requiescat humus, requiescat
arator,
Et graue, suspenso vomere, cesset opus.

Et alius: Riuos deducere nulla
Relligio vetuit.

De feriatione ethnica scripsit & Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 3. Et quarè nos minùs in nostro Ecclesiastico sabbatho operaremur, quàm in suo synagogico Iudęi? Hi bonam sui sabbathi partem legendo & canendo transigebant, vtì scriptum est Actorum XIII. Prophetæ qui per omne sabbathum leguntur &c. Item latiùs ibidèm: Sequenti sabbatho penè vniuersa ciuitas conuenit ad audiendum verbum DEI. Item Actorũ decimoseptimo habetur sic: Secundùm consuetudinem Paulus introiuit ad eos, & per tria sabbatha disserebat eis de scriptura, adaperiens & insinuans, quia Christum

 stum

ſtum &c. Dominus noſter Chriſtus etiam in ſabbathis docere ſolet, vti Mar. 6. habet: Et facto ſabbatho, cœpit in ſynagoga docere &c. Secundò præcipuè Dominicis diebus inſtitit etiam primitiua Eccleſia dandis eleemoſynis, iuxta quod ſcribit ſanctꝰ Paulus 1. Cor. 16. Quanuis autem nos talia vel quotidiè facere deberemus, tamen fit multo opportunius ſingularibus diebus, idque ipſum quiſque requiei tempore cõmodius exequi poteſt. Qui Dominicam diem ſecularibus deſiderijs tranſigunt, ij non ſacrant eam DEO, ſed deſecrant eam diabolo: qui illis ſuis miniſtris iuxta meritum dabit mercedem, ſint cuiuſcunque velint ſtatûs.

Nunc es tu mi Chriſtiane breuiter de ſabbatho noſtro ſpirituali auditurus. Hoc autem eſt neq; ſeptimus, neque octauus ſeptimanę dies, verùm omnes dies ſunt iſtud ſabbathum: ideoque omnes dies, ſecũdùm hoc DEI præceptũ, tanquàm ſabbatha ſanctificaremus. Quemadmodùm verò dies omẽs ſanctificandi ſint, paulopòſt dicemꝰ. Eſaiæ vltimo ꝓmittit DEVS, quomodò noui

ui teſtamenti tempore populus Chriſtian⁹ ab vno ſabbatho ad alterum venturus ſit. Hoc de ſabbatho quotidiano, contra reiectum Iudaicum, eſt dictum. Non enim Iudæi ex vno ſabbatho ad aliud (cõtinuum) iuerunt: ſed ex ſabbatho per ſex totos operarios dies iêrunt, priuſquàm alterum ſabbathum rediret. Quum ergò nobis cuncti dies, iuxta iſtud vaticinium Eſaiæ, ſint ſabbatha, omnes etiam dies ſunt nobis iuxtà mandatum iſtud ſanctificãdi, nempe externo DEI cultu in ſpiritu & veritate perfecto, ſanctaque conuerſatione. E ſcriptura nobis ſanctificatio ſabbathi docenda & declarãda, Eſaiæ 56. ait DEVS: Beatus eſt homo &c. obſeruans ſabbathum, nè ipſum deſecret, manuſq; ſuas cuſtodiẽs, nè faciat om͂e malum. Quaſi dicere velit: Malefaciẽdo ſabbathũ deſecrari poteſt, etiamſi à labore qeſcatur, nihilque agatur. Hoc proximè ad Iudæos & Iudaizantes attinet, DEO tantùm ociando ſatisfacere volentes, parùm omninò reputãtes, ſi in ſabbatho peccatum peccato addant. Nil mali facere, eſt Chriſtia-

nè feriari. Manus à labore contineri facilè
pôteſt. At per hoc ſabbathum noſtrum re-
ctè ſanctificatũ non eſt, ſed quandò manus
etiam à peccaminoſis operibus continent.
De huiuſmodi feriatione ſeu ſabbathi cu-
ſtodia ait Dominus etiam Eſaiæ 58: Si ſab-
batho pedẽ tuum auerteris, nè facias quod
velis in ſancto die meo &c. In his ſequenti-
bus DEI verbis ter declarat, quomodò ſab
bathum quotidianum honorare debeam⁹,
nempe vt voluntatem noſtram in eo nõ fa-
ciamus. Vnaque conſonat loco illi Caput
56. Nã quid aliud eſt malè facere, quàm ſu-
am voluntatem facere, intellige voluntatẽ
ſiue voluptatem carnis? Si autem malè faci-
endo ſabbathum deſecrari poteſt, ſequitur
neceſſariò, ipſum benè faciẽdo ſacrari poſ-
ſe: & ſi noſtra voluntate, delicijs & operi-
bus carnis inhonorari valet, ſequitur etiã,
honorari ipſum poſſe, quãdò voluntatem
diuinam facimus, fructusque ſpiritûs adim
plemus. Iudęis mandatum erat Leuit. 16, vt
animas ſuas, id eſt, ſeipſos, in quibuſdã ſab
bathis humiliarent: quod à Chriſtianis ſer-

uatur, quãdò ipsi proprię voluntati suę resistunt, nec ipsam in suis actionibus inueniri permittunt, siue id operibus, siue verbis contingat. Iudæi etiam in sabbatho offerre debebant: hoc impletur, immò adimpleretur quotidiè à Christianis oblatiõe illa, de quà Rom. 12. Quemadmodùm in sabbatho ipsi orare etiam debebant, Ezech. 46: sic & nos sinè intermissione faceremus, Lucę 18. Hoc Christianum sabbathum irridere quidem illi queunt, Thre. 1: attamen ipsum est DEI delicium, aut tẽpus quod beneplaceat DEO, Esa. 58. Sabbathum seruare, est quomodò DEVS ipse fecit, facere. Hoc est maximum sabbathi exemplum. Nam cùm ipse illud seruârit, dignè illud seruamus & nos, Gen. 2. Exo. 20. Heb. 4.

Iam si nos ità sabbathum nostrum seruauerimus, vtì ex Esaia est ostẽsum, habuerimusque requiem à peccatis, omittentes voluntatem nostram, meditantes DEI voluntatem, vt eandem in verborum eius obedientia perficiamus: eccè, tum veras ferias ingrediemur, videlicet in requiem æternã,

qui cęlestis est sabbathismus, vndè Apostolus ex Psalmo 94. multifaria narrat Heb. 4. Illic arbitror ego perfectas ferias præ manibus esse, vbì tum penitùs ociosi & quieti, in omni gaudio viuemus. Illic erit quies & pax ab operibus, à passionibus, ab angùstijs, à lachrymis, ab exilio &c. Nostrum sabbathum hîc incipit, ibique sempiternè durat. Nobis verò ab hoc in illud veniẽdum, & hîc à malo quiescere inchoandum, vt ibì perfectè ab omnifaria aduersitate quiescamus. Hæc sempiterna requies, præfigurata est per regionem Canaan sub Iosua filio Nun. At noster Iosua filius DEI, iuuat fideles suos ad veniendum in requiem æternam, modò qui vt in eam veniant, p̃ter hoc alioquì operam impendãt, vtì scriptum est Hebr. 4.

# EX ALTERA MOSIS TABVLA,

## QVARTVM DEI PRAECEPTVM.

Ho-

## Honora patrem tuum & matrem.

MOSES honoré parentum iubendo, docet eũ in textu hoc præpositis articulis Hebraicis; quod tanquàm vehementia quædam, parentum statum & officium valdè gloriosum efficit. Honorare, gloriosum est in ea lingua verbum, vt sæpenumerò ipsimet etiam DEO approprietur. Immò quis est honorari dignus, nisi DEVS solus, quemadmodùm & nemo bonus est, nisi DEVS solus? Tamen non est inuidus, verùm hominibus etiam fauet, vt titulorum suorũ aliquot ferant: & prætereà idem etiã hîc mandat, nempe vt nõ ipsum modò, sed etiam parentes nostros, Superiores siue Magistratus, 1. Pet. 2, & senes honoremus, Leu. 19. Veruntamé sic, vt maximus sibi à nobis honor exhibeatur, cùm nos eum sibi p̃ alijs peculiariter debeam⁹: illos verò post ipsum probè obseruemus, eosq; propter eum honore, quem ipse iubet, studiosè afficiam⁹.

IAM plùs hîc dictum est, Honora pa-

trem tuum &c. quàm si dixisset, Obedi patri tuo. Siquidem HONORARE comprehendit omnia, quę parentibus facere debemus seu valemus. Obedire verò, hoc ipsum non facit. Honorare, secum fert primò charitatē. Nam si proximus noster tanquàm nosipsi nobis amandus, quanto magìs nostri parentes nobis, tanquàm nosipsi, amandi, quum post DEVM nobis ꝓximior esse nemo queat? Hęc dilectio ex se profert, vt parentibus nostris amici, ergaque eos ex corde affecti, & in omnibus beneuoli, prompti & voluntarij simus. Erga quem enim id sumus digniùs? Deindè secum fert existimationem, hoc est, vt parentes magni ęstimemus. Nōnè enim ij nobis magni sunt reputandi, à q̃bus hanc obtinemus vitam, & qui in hunc nos MUNDUM tulerunt? Tertiò reuerentiā, vt ipsos tanquàm dominos moraliter vitemus ac reuereamur? Quartò, obedientiam. Nam quid esset honor iste, si nullā eis obedientiā exhiberemus? Sanctus Petrus ait honorificandos reges sibidèm etiā intelligi volens, regibus obediendum. Hinc sanctus Pe

trus mandatum hoc de parentum honore, de obedientia interpretatur, vbi ait: Filij, obedite parentibus vestris in Domino. HOC enim iustum est, siue (vt ad Colossenses dicit) beneplacitum DEO. Veruntamē posteà mox huc apponit huius mandati ex Mose verba, ad insinuandum, nudam obedientiam huic parentum honori non satis respōdere, Ephe. 5. Hęc obedientia latiùs ex se parit subiectionem & humilitatem. Quid em̄ foret obediētia, si se filius supra patrem suum extollere, super eū dominari, eum verbis obtundere, ac indere vellet? Quintò secum fert honor iste repēsionem, hoc est, vt nostros parentes in senectute aut infirmitate eorum & calamitate, ediuersò alamus & conseruemus, sicut in nostra iuuentute & omnigenis periculis, à primo nostro die nos aluerunt ipsi & cōseruârunt. Hāc partem singulatìm exprimit S. Paulus 1. Timo. 5. docēs quomodò Christiana vidua parentibus suis mutuam vicem rependere debeat. quod bonum opus ipse huiusmodi pręconio cōcludit, Hoc est benefactum & co-

ram DEO acceptũ. perindè atquè ipse etiam de isto mandato ad Ephesios dixit, HOC justum est.& ad Colossenses, Hoc beneplacitum est Domino. Sextò fert secum iste parentũ honor talem affectionẽ, vt nos haud solùm de temporali ipsorum salute, verùm etiam de futura soliciti simus: ità, vt eos vice versa doceamus, sicutì nos ij docuerũt, eisq́ue subindè verbum DEI prælegamus, ac subueniamus, vt ab errore, si quo irretiti fuerint, explicétur. Hoc enim est rectum Ioãnis opus, in propheta Malachia & EUANgelista Luca descriptum: vocaturq́ue, patrũ corda ad filios conuertere. Huc pertinet vt & pro eis DEVM oremus. Nam si pro omnibus, etiam pro inimicis nostris, orare debemus: quanto magìs pro nostris parentibus? Quis parẽtum honor super hunc esse queat, postquàm hic animarum ipsorum salutem, eosq́ue cum corpore ad perpetuũ honorem, quo DEVS & omnes angeli ipsos honorabunt, ferre desideret? Alijs in Legis locis apertè DEVS iubet, vt parẽtes nostros timeamus, velut Leuit, 19, id quod etiam ma-
gni

gni quiddam est, cùm alioqui timor (eiusmodi) propriè sit DEI. Exaduersò prohibet parentum inhonorationem, quæ fit quandò ipsis filij maledicunt. Istam inhonorationem sub pœna mortis vetuit, quemadmodùm Leu. 20: Qui maledixerit patri suo aut matri suæ, morietur. Si quid peius euenerit, vt puer aliquis maledicēdo parentibus non satietur, verùm parentes & pugnis inuadat: tum etiam iudicium istud merces eius erit, vtì scriptū est: Qui patrem suum aut matrem suam percusserit, morietur, Exod. 21. Si filius etiam ijs nōdùm saturatur, sed & affligit parētes suos, vt ijs postremò quoquò sit aufugiendum, etiam hic suā laudē habet Prou. 19. Inhonoratio erga parētes, cōcluditur Deut. 27. acclamatiuncula hac: Maledictus sit qui patrem suum & matrem suam nō honorârit: ad quam vniuerso populo dicēdum erat, Amen. Et quem in modum tales inobediētes ac inhonesti filij aut filiæ tractādi essent, etiā Deut. 21. multis verbis iubetur. Eiusmodi nequā filij, qui suos parētes inobedientia & petulātia inhono-

rārunt, fuerũt inter cæteros Cham ille, qui nudata patris sui Noę verēda libens vidit: Et Esau, qui etiam contra parentes suos ꝓbos faciebat, Gene. 28. Et Ophni cũ Phinees, filij Heli, qui omninò ruditer agebant, supplicium etiam suum propterea assequuti, 1. Reg. 3. & 4. Item Ioël & Abia filij Samuelis, qui nō sui patris modestiam, sed suam auaritiam sequebãtur, 1. Reg. 8. Ex istis redderemur prudentes ad honorandum parentes nostros ac reuerendũ, sicuti nosmet à filijs nostris honorari ac timeri vellemus: id quod Isocrates etiam ethnicus pręcepit. Si parẽtibus suillam capsulam vndè comedant, paramus: talem & filij nostri paraturi sunt nobis, quemadmodùm hac de re insignis adhuc historia superest, & gentilis Pittacus ait: Quod parentibus tuis feceris, hoc idem à filijs tuis expecta & tu. Eccè, talia DEVS verbis suis intendit, vbì parentes à filijs vult honoratos. Et quanuìs hoc mandatũ, numero seu ordine sit quartum, tamen iuxta promissionem, quam priora nō habẽt, est primum; etiamsi minas habeat pręceptũ

se-

fecundum. Præter hoc, iuxta tabulæ diuisionem, etiam est primum. Cur autem venamur hoc? Eapropter, vt huius præcepti eo studiosiores simus, quum & primo stet loco, habeatq; promissionem, quorũ vtrunque ad hanc & illam vitam facit. Si obediẽtibus hîc nobis parùm DEVS tribuerit, idq; diutina sanitate, & mortalis corporis vita, siue tempore felici, siue opib⁹ magnis, tum nobis posthàc eo copiosiùs tribuet, nempe in verè laudata regione, vbì vera sunt bona, vbì lac & mel fluit, hoc est, gloria talis, qualẽ nullus vnquàm oculus vidit, nec auris vlla audiuit. Noster Iosua cõsolatur suos spirituales Israëlitas & bellicosos heroas non per hanc regionem terrenã, cùm regnum eius non sit de hoc MUNDO, sed p cælestem, nempe in qua ipse ad dexteram patris sedet. Ibì nos nõ solùm diù, verùm sempiternè etiam viuemus. Quanquàm hîc etiã non ità grandis necessitas nos est mansura, modò sequamur exempla sanctorum, qui mandatum istud voluntariè adimplêrunt. Summus sanctorum omnium, est IESVS Na

zarenus, de quo prædicatur quòd suis Parentibus subditus fuerit, Luc.2. Sem & Iaphet patrem suum Noën honorârunt, isto alio ipsum dedecorante. Eapropter & illis benedixit, Gen.9: isti verò alij maledixit.

Isaac omnem parentibus charitatem ostendit. Eius verbũ erat: Pater mi, eccè ego hîc adsum, facturus ac passurus quicquid velis, Gen.22. Iacob obedijt matri suę, cibauitq; patrem suum, Gen.27. Filij Iacob faciebant ei vice versa, quemadmodùm is patri suo Isaac fecerat. Pergebãt in Aegyptũ, auferẽtes frumentum, vndè se & dilectum patrem suũ in tanta rerum caritate sustentarent, Gen.42. Quid faciebat Ioseph? En quomodò ex magna charitate in patris sui collum, dum hic ad illum venisset, ruebat? Gen.46. Neque hoc illi satìs fuit, sed procurauit huic alimentum in terra peregrina, cap.47. Fuitque ei & anteà semper obediens, cuius etiam verbum erat, patre ipsum accersente, Præstò sum, Gen.37. Eiusmodi probus filius erat initiò Saul, dum patris sui asinos quæreret: & Dauid, cùm patris sui

oues pasceret: & iunior Tobias, ad quem senior aiebat: Cùm DEVS animam meam acceperit, sepeli corpus meum, matremq; tuam honora quandiù viuis. Quod de parentum honore exemplum, Rechabitarum facinus, vndè Hieremię 35. est scriptum, transcendit. Hos filios DEVS per vatem tentari, eisque vinum apponi, permisit. ipsi verò bibere nolebāt, nulla alia ex causa, nisi quòd ipsis pater ipsorum Ionadab vinum bibere, aliaque plura vetuisset. Horum filiorum obedientiam suggessit posteà DEVS inobedientibus Iudæis, extollēs eam sublimiter, querelamque suam super ea, velut à minore, fundās, nempe sic: Si Rechabitæ tam sedulò patris sui, qui tamen mortalis homo erat, voci obediunt, libenterq; carent quo tamen vix carere possunt: quanto sedulius vos meę voci, qui Dominus sum, vobisque tam acre præceptum nunquàm dedi, quàm hic Ionadab filijs suis, obedire deberetis? De parentum honore legere potes dimidium caput Ecclesiastici 3. valdè pulchris & amabilib' verbis refertum, quæ quasi expo

ſitio huius ſunt præcepti, quemadmodùm & ſapiens ille Salomon in Prouerbijs valdè frequenter ſuper mandatum iſtud ſcripſit. Lege cap. 19. 20. 23. 28. 30.

Mandatum iſtud etiam Ethnicis à DEO reuelatum fuit, Rom. 1. idque ſic, vt huius æquè præcepti verbis vtantur, ſicut præcipuè Pythagoras, dicens: Honora parentes. Et Phocylides: Honora DEVM inprimìs, deìn tuos parentes. Quanuìs hic potuerit eſſe Chriſtianus. adeò eius monitio eſt bona. Et Menander ille: Parentes tuos ante oĩa honorato. Cato etiam docet, Parentes tuos ama. Athenis olìm templum erat, Eleuſinę templum appellatum, in quo ſcriptæ reperiebantur tres Triptolemi leges, nempe Venerandos deos, Honorandos parẽtes, Carnibus non veſcẽdum. Et Solon inter cętera legem dedit: Si quis parentes non ſuſtentauerit, is ignobilis & obſcurus eſto. In TOPICIS etiam honor parẽtum exprimitur his verbis: Qui dubitat, num DEVS colendus & parentes honorandi ſint, is non (verbis) inſtruendus, ſed (verberibus) eſt caſtigandus.

iius philosophi oraculum est vnicuique
niliare, videlicet: DEO, parentibus & p̄-
ptoribus æquale reddi non posse. Multi
:ione pollentes ethnici mandatū hoc etiā
ı seruârunt, quòd ipsorum cordi inscri-
um esset, Rom. 2. Eorumque vnus primā
ıturę legem appellat. Aliubì legitur, quo-
odò Claudia suum patrem Romæ in fo-
ɔ liberârit. Aliubì, quomodò filia quædā
ıatrem suam, propter adulterium fame in
ircere necandam, suis vberibus aluerit, vi
amq; conseruârit. Aliubì, quomodò Ci-
non se capi & incarcerari permiserit, vt oc
:asione illa patris sui sepulturam promo-
ıeret. Aliubì, quomodò fratres duo in Hi-
spania parētibus suis victum procurârint,
sintq; propter eos honesta etiam morte de-
functi. Aliubì, quomodò fratres duo parē-
tes suos per montem ignitum Aetnam hu-
meris suis portârint. Claudius Romanorū
imperator, Maioribus suis ac parētibus ex-
cellenter magnum honorem exhibuit, etiā
cùm iam mortui atque sepulti (diù) essent,
quéadmodùm Suetonius Tranquillus hac

de re pulchrè scribit. Apud Spartanos iuuẽ
nibus coram Senibus assurgendum erat, vt
per hoc parentibus suis honorem exhibere
docerẽtur. Legitur etiam, quòd duobus La
cedæmone fratribus inter se rixantibus, La
cedæmõij insurrexerint, & castigârint ipso
rum patrem, propterea quòd ille filios su-
os nõ aliter instituisset &c. Quãquàm istud
ad filiorum disciplinã, vndè aliâs dicẽdum,
spectat. Eiusmodi præstiterunt impij gen-
tiles: quid nos facimus Christiani? Cur au-
tem sic de Ethnicis loqui soleam, facit Scri-
ptura, quæ & ipsa nõnunquàm incredulo-
rum Gentilium exempla populo DEI pro-
ponit, vt vel alienorum comparatione pu-
defiat, & ad obedientiam expergiscatur.Ità
Iudęi ad Gẽtes & insulas Cithijm ire iuben
tùr, vt ibidèm plùs constantiæ in illorum
(tametsi falsa) religione cernãt, quàm apud
se erat, Hier. 2. Et Ezechielis 16. Samarita-
na gentilitâs prę Iudæis laudatur, videlicet
quòd illa dimidio minùs, quàm hi, q tamen
DEI populus esse volebant, peccâssent. Et
S. Paulus: Qualis, ait, nec inter gentes no-
mi-

inatur: dicere volens, Corinthium quen-
am tale ſcelus perpetrâſſe, quale gẽtes eti-
m ignorent: multo minùs id ſcirent Chri
tiani. Hunc in modum nosipſos infideliũ
xemplis, quæ quidem bona ſint, emenda-
emus, eademq́ue noſtrę tarditati quaſi cal
ar acutum eſſe ſineremus. Hoc de paren
ibus honorandis ſit dictum.

IAM verò quemadmodùm parentes no-
ſtros honorare, ſic fratres noſtros ac ſoro-
res amare promouereq; obligamur. Si ali-
ter fecerimus, parẽtes noſtros in illorum fi-
lijs (noſtris fratribus) inhonoramus. Ea pro
pter etiam honori parentum cedit, quandò
fratres ac ſorores inuicèm vnanimes ſunt,
mutuam ſibi ac maximam opem, alter alte-
ri, pręſtantes. Eiuſcemodi à Ioſepho diſce-
re poſſumus, qui vndecim fratribus ſuis in
illorum anguſtia tantam charitatem oſten-
dit, eosq́; ſummè in Aegypto iuuit, etiamſi
illos peſſimè anteà de ſe meritos ſciret. Le-
ge Geneſeos 45. Eiuſmodi charitatem &
vnanimitatem à Rechabitis etiam (Hier. 35.)
& à Machabæis diſceremus. Hìc nullus eſ-

ſet Cain aut Eſau, qui parentes ſuos in fratribus ſuis inhonorârunt: quomodò etiam Dauidis maximus frater Eliab, 1. Reg. 17. Cain vtebatur verbo minimè Chriſtiano: Sum ego fratris mei cuſtos? Sic nobis dicendum non eſt: verùm naturalis frater noſter ſummè ac ſemper ſuſcipiēdus: potiusq; cum Iuda dicendum, Frater noſter & caro eſt. Si nō bènè fecerimus ijs, qui nobiſcum ex eiſdem parentum corporibus ſunt nati, quid tum alijs boni faceremus? tametſi iuxta fidem omnes ſimus fratres, Mat. 23. De officio parentum, infrà parùm dicetur.

## QVINTVM DEI PRAECEPTVM.

### Non occides.

QVID eſt horribilius ac miſerabilius, q̃ quòd homo hominem iugulat? Certè ſi neque Diuina lex, neq; Cæſareum ius hominis occiſionem vetuiſſet: ſatìs tamen adhuc vetaret lex naturalis, quā etiam gen-

tes in corde ſcriptam circunferunt, & per eam ab occiſione abſtinentur. Ad hoc, etiã hominis creatio oſtendit, ipſum ab hoc ſcelere procùl eſſe debere. quid enim eſt in noſtro corpore, per quod occídere poſſimus? Nullũ in terra animal tam pauca in ſe mẽbra, quibus nocere valeat, habet, atquè homo, qui eſt ſimpliciter ad pacem, vnitatem, & amicitiam creatus, & cum vniũerſis pertinentijs ſuis effigiatus. Iam ſi occídere tam eſt penitùs inhumanum, quanto minùs eſt Chriſtianũ? nullus homo à natura ſeu corporis ſui armis habet vt occídat: quanto minùs id Chriſtianus à CHRISTO ſeu armis iuſtitiæ habet? Chriſtiani, non ſolùm inuicèm ſunt homines, verùm etiam fratres, & cæleſte regnum paritèr hæreditaturi. Quomodò ergò vlla inter eos vnquàm cędes eſſe aut fieri poteſt? Vndè pugnæ & bella inter Chriſtianos? Certè nõ aliundè, niſi à diabolo, qui homicida ab initio fuit, Ioan. 8. cuius etiam viuere, eſt mactare. Nullus canis occídit alium, nullus leo, nullus vrſus, nullus crocodilus, nulla hyęna, nullus par-

dus, nullus draco, nullus lupus, nullus vermis. Quî (malùm) ergò, quòd homo hominem, immò Christianum Christianus occidat? Hæc querimonia magìs est lachrymis deflenda, quàm verbis exprimenda. Illud obitèr hîc sciẽdum, Christianos omẽs, qui se inuicèm iugulãt, fratricidis illis, Cain Gen. 4, & Abimelech Iudic. 9, & Ioram 2. Paral. 21, &c. pares coram CHRISTO & Ecclesia æstimari. Nullum omninò scelus est inter om̃ia, quod Christiana religio minùs ferat. Et quomodò bellatores, ac potissimùm belli inceptores aut incẽtores, saluari vnquàm velint? Nihil est hîc, nisi gladius iustitiæ secularis, exceptum. Nam is tantùm à DEO veniam habet, qui gladium suis ꝓprijs verbis in terra constabiliuit, ac dixit: Qui effuderit sanguinem humanum, eius effundetur sanguis: quoniã homo ad imaginem DEI est factꝰ, Gen. IX. Rex Salomon non peccauit cõtra mandatum hoc, superbos illos comites, Dauidis inimicos, morte auferens 3. Reg. 2. Sicut etiã nec Moses peccauit, cùm blasphemum illum qui cõtra se-

idum præceptum, & lignorum collecto-
em, qui aduersùs tertium præceptum fece
at, permitteret occidi. Potestas omnis est à
DEO, correctionemque esse oportet. Hoc
locet Paulus Rom. 13. omisque ratio & in-
ellectus fatetur. An non sæpissimè in Mo-
saicis libris magistratus corrigere, & quod
malum est, tollere iubentur? Quis alioquì
inter probos omes tam audax esse, manúq;
vel vnam in proximũ extendere, contra stri
ctum istud DEI præceptum, vellet? Verun-
tamen semper timeatur, alicui violẽtiam fi
eri, innoxiumque sanguinem fundi, contra
quod iubetur: Innocentes & iustos nõ oc-
cides: non enim iustificabo impium, Exodi
23. Talia faciebat Ioab regis Dauidis præfe-
ctus, in hoc quòd Abner & Amasam abs-
que iuris ordine interficiebat. Ità faciebat
rex Achab, cùm innocentem Naboth per-
mitteret lapidari. Ille ex odio & inuidia,
hic ex auaritia faciebat. Ità Iezabel huius
vxor prophetas DEI interficiebat, ꝓptereà
quòd aduersùm eius idola loquerẽtur &c.
Innocẽsque sanguis, quem Iudæorum do-

mini petulanter effuderunt, maxima certè post idololatriã causa fuit, vt captiui Babylonem abducerentur, vti 4. Regũ 24. manifestè est scriptum. Summa: Qui hominem occiderit, morte morietur. Anima pro anima, Leuit. 24. Tantummodò cautela, consilium, & benè pręcogitatum iudicium huc spectãt. Sanguis sinè culpa effusus, sursùm in cælum clamat. Habetq; verbum istud famam omninò malam in scriptura: Pedes eorum veloces ad effundendum sanguiné, ait Dauid. Cui homo est quasi gallinaceus pullus, idem ille non est homo, sed canis: neq; semel cogitare audebit, animę suæ vllũ consilium profuturum, nisi pœnitendo ab hac mente desistat. Contra sanguisugas & rabidos (homicidas) legantur Prophetæ, pręcipuè Micheas & Amos. Probi principes, domini & iudices, singularem timorem & respectum in sanguinis iudicium habẽt: qppe quibus magno dolori esset, si rescisceret se vel vni homini iniuriam intulisse; sciẽtes eadem mẽsura sibi à Domino mensum iri, qua fuerint alijs mensi. Dicta sunt hæc de

cor-

orporali cæde,aduersus quam lex est, 1.Ti
ot.1.quæ & carnis est opus,Gal.5. Spiri-
uales etiam latrones hoc tangit mandatũ.
sunt proximi sui osores, q in corde qui-
em habent occidendi appetitum, sed con
icere vel non queunt,vel non audent. De
huiusmodi scriptum est: Qui oderit fratrẽ
suum,homicida est,1.Ioan.3. Sic & odium
n veteri testamento prohibitum fuit, sicut
scriptum est: Non oderis fratrem tuum in
corde tuo,Leu.19. Qui de hoc latrocinio
dubitat,is sibi CHRISTVM satisfacere sinat
Matt.V.Sed & Paulus ait:Si quis irascitur,
resistat sibijpsi,nè peccatũ pariat ira,Ephé.
V. Sirach ait,melius esse corripere,quàm
irasci.& cap.28.scriptum reliquit,Memen-
to timoris DEI,& nè proximo tuo citò ira-
scaris. Hoc mandatum etiam iudicat con-
uiciatores & accusatores, 1.Cor.5.Matt.5.
Itẽ diffidatores, detractores, calumniato-
res,famosorum librorum scriptores, pro-
ditores,&c.& qui ex feruenti ira proximũ
suum ità verbis inuadunt,quemadmodùm
Iudæi Dominum nostrũ,Matt.27. Huius-
mo-

modi enim omĩa prodeunt ex infenſo, vindictæ & latrocinij auido corde, vndè ipſũ etiam latrocinium prodit, Mar. 7. Conuiciator, prętet hoc, etiam eſt excommunicatus, 1. Cor. 5, nam Chriſtus eiuſcemodi linguelatrones in corpore ſuo ſcire non vult. Breuiter, hoc mãdatum præuaricatur corde; hoc em̃ eſt radix, poſtmodùm ore; Nam per os proximo noſtro ſuus honor abſcinditur, egrediturq́; ex eo cruenta bilis. Tertiò, manu: hæc nanq; perpetrat facinus, ad quod cor & os anteà ſpirârunt per malum ſpiritum, & incitârunt. Cor quod occídit, eſt iracundum, infenſum, acerbum, irreuerens, durum, iurgiorum auidũ, & quod acceptam iacturam ſeu ignominiam diù ſecũ portat, Os quod occídit, eſt cõuiciator, delator, detractor, infamator, litigator, & qui ad bella frigidam ſuffundit. Manus lędit, & eripit hominibus viuis animam, quam reddere illis ipſa nunquàm poteſt,

IAM non ſolùm vult DEVS, nè quem verberemus, pungamus, ſecemus, perfodiamus, aut occidamus, verũ exaduerſò vult,

vt

vt nos erga vnumquenuis fraternè & amicè geramus, inuicèm amemus, vnanimes simus, vicissim alter alteri dantes & adsistentes, propter CHRISTVM omnibus qui nos læserunt, dimittentes Ephe. 4. Non occides, ait Dominus. Quid igitur faciam? Viuificabis, hoc est, in vita conseruabis, quandocunquè potes, cõsulendo, dando, mutuando, liberãdo &c. Nam scriptura vsurpat illud CHIAB, hoc est, Viuificabit, sic, vt modò significet, in vita conseruare, modò viuere sinere, modò recreare, modò alere, modò sanare &c. sicut de hoc in libello de idiomatis scripturæ sum dicturus. En hoc modo pceptum istud antiphrasticè (id est, oppositum sensum apphendẽdo) seruat, fieri pe quãdò nos alicui ad vitam opitulamur, aut in vita, quomocunquè id quiuerimus, conseruamus.

## SEXTVM DEI PRAECEPTVM.

### Non mœchaberis.

QVI

QVI nos creauit, ille ſcit quale nos figmentum ſimus: nouitq́; humanum cor, q̃ ſemper ad malum, vt ſcriptura ait, ſit pronũ. Eapropter anteuenire ipſum vult, iam precando, iam pollicendo, iam minando, iam mandando, ſicutì hîc, vt mali inter populum ſuum om̃inò fiat nihil. Quale verò ſcelus adulterium & ſcortatio ſit, nõ reticet nobis S. Paulus 1. Co. 6: Omne peccatum, ait ipſe, quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt: Qui autem fornicatur, in corpus ſuũ peccat. Item: Tollẽs ergò membra CHRIRTI, faciam membra meretricis? Abſit. Rex Salomon multas parabolas contra vitium hoc, vt iuuentutem indè abſterreret, fecit. Prouerbiorum cap. ſexto inter cætera dicit: Qui cũ muliere adulterat, ſtultus eſt: & vitam ſuam in perditionem adducit. Ad hoc, attinget eum plaga & ignominia, & ignominia eius nõ eſt delenda. Contra adulteros vult ipſe Dominus, cùm ipſũ non timeant, velox eſſe teſtis, vtì per Malachiam ait. Immò ad hoc, etiam iudex (fornicatorum &) adulterorum eſſe vult, ſicutì

utì per Apoſtolum Heb.13.eſt ſcriptum.

Et quî poſſit adulterium & fornicatio magìs damnari, quàm per Pauli os à DEO condemnatum eſt, vbì ait, nullum Chriſtianum talibus cum hominibus edere aut bibere debere, 1. Cor. V. cùm ipſi iudicio & excommunicationi obligentur? Et Eph.5. item Gal.5. ſcribit idem, eiuſmodi homines hæreditatem DEI non poſſeſſuros. Quum igitur tantū ſcelus ſit, non vult DEVS ipſum nè hîc quidem in terra impunitum eſſe, ſed iubet adulterum cum adultera occídi, Leu. 20. Deut. 22. idq; ius etiam Cæſarium obſeruat. Similiter Turcarū ius, ſi alioquì ius vllū apud illos eſſe poteſt. Olìm apud Cumanos adulteræ aſinis imponebantur, atq; ità per vrbem equitare cogebātur, vt quiſque eas videret & ignominia notaret. Hoc dedecoris adhærebat ei perpetuò, atque indè ὀνοβάτις, id eſt, aſini equitatrix, vocitabatur. Nota eſt & veterum Romanorum aduerſùs adulteras lex, Iulia cognomīata. Sed quemadmodùm illo tempore Satyricū id pupugit, quòd eadē lex non obſeruaretur:

ità

ità possemus & nos modò cum ipso cómodè dicere, Lex Iulia, dormis? Immò liberè etiam quęrere, vbi Scantinia maneret contra pędicones. Quis iam huic sceleri inimicus esse non velit? Aufert enim animam se exercenti, sicut Eph.5. auditum, quod pręfiguratum est in Israelitis, qui, quoniam inter alia flagitia magni erant adulteri, in terram ꝓmissam haud peruenerunt. De ijs narratur 1. Co. 10. Deindè aufert sensus, quémadmodùm scriptum est: Fornicatio, vinum & mustum (seu ebrietas) auferunt cor, Hoseæ 4. Tertiò aufert se exercẽtis honorem, vtì suprà ex Prouerb. sexto auditũ, vbì adulter, stulti cognominatiõe vituperat̃. Quartò aufert & vitam, quandò ius quidem pro iure seruat̃, Deut. 22. Quintò aufert substãtiam seu bona, vtì Salomon ait: Qui meretricis est socius, sua amittit bona, Prou. 29. Eapropter voluntas DEI, nostra sanctificatio est, vt vitemus fornicationẽ &c. 1. Thes. 4. Et quem Scripturæ exempla hinc non absterreant? Abimelech in Aegypto plaga ob adulterium afficitur Gen. 12. Sodomitę

igne & sulfure sunt absumpti, Ge. 19. Adulter cum adultera transfodiuntur Num. 25. huiusque sceleris ergô, vigintiquatuor hominum millia sunt occisa. Beniamitarũ circiter vigintiquinque millia propter scelus istud sunt iugulata, Iudic. 20. Filij Eli, immoderati illi adulteri, etiam sunt interempti, 1. Reg. 4. Quî tractãda fuisset Susanna, si adulterio obnoxia fuisset reperta? Herodes, qui (contra caput Leuitici decimũoctauum) cum sui fratris vxore peccabat, exilio mulctatus est & sublatus. Istud verò flagitium transcendit virginum violatio, contra quam leges à DEO in veteri testamento sunt latæ. Lege Exodi caput 22. & Deuter. 22. Duos manifestos virginum violatores adsignat nobis scriptura, pœnamque eorũ simul: nẽpe Sichimitam illũ, qui Dinam rapuit & oppressit: Quid verò Sichimitę illi, immò Sichimitis propè vniuersis, pro hoc mercedis obtigit Geneseos 33? Et Amnon illũ Dauidis filiũ, qui & sororem ex patre suam oppressit. Quid autem ei hac de causa obuénit 2. Reg. 13?

ità possemus & nos modò cum ipso cōmodè dicere, Lex Iulia, dormis? Immò liberè etiam quęrere, vbì Scantinia maneret contra pędicones. Quis iam huic sceleri inimicus esse non velit? Aufert enim animam se exercenti, sicut Eph.5. auditum, quod pręfiguratum est in Israelitis, qui, quoniam inter alia flagitia magni erant adulteri, in terram ꝓmissam haud peruenerunt. De ijs narratur 1. Co. 10. Deindè aufert sensus, quémadmodùm scriptum est: Fornicatio, vinum & mustum (seu ebrietas) auferunt cor, Hoseæ 4. Tertiò aufert se exercētis honorem, vtì suprà ex Prouerb. sexto auditū, vbì adulter, stulti cognominatiōe vituperat̃. Quartò aufert & vitam, quandò ius quidem pro iure seruat̃, Deut. 22. Quintò aufert substātiam seu bona, vtì Salomon ait: Qui meretricis est socius, sua amittit bona, Prou. 29. Eapropter voluntas DEI, nostra sanctificatio est, vt vitemus fornicationē &c. 1. Thes. 4. Et quem Scripturæ exempla hinc non absterreant? Abimelech in Aegypto plaga ob adulterium afficitur Gen. 12. Sodomitę
igne

igne & sulfure sunt absumpti,Ge.19. Adulter cum adultera transfodiuntur Num.25. huiusque sceleris ergô,vigintiquatuor hominum millia sunt occisa. Beniamitarū circiter vigintiquinque millia propter scelus istud sunt iugulata,Iudic.20. Filij Eli, immoderati illi adulteri, etiam sunt interempti,1.Reg.4. Quî tractāda fuisset Susanna, si adulterio obnoxia fuisset reperta? Herodes,qui(contra caput Leuitici decimūoctauum)cum sui fratris vxore peccabat, exilio mulctatus est & sublatus. Istud verò flagitium transcendit virginum violatio, contra quam leges à DEO in veteri testamento sunt latæ. Lege Exodi caput 22. & Deuter. 22. Duos manifestos virginum violatores adsignat nobis scriptura, pœnamque eorū simùl:nēpe Sichimitam illū,qui Dinam rapuit & oppressit: Quid verò Sichimitę illi, immò Sichimitis propè vniuersis, pro hoc mercedis obtigit Geneseos 33? Et Amnon illū Dauidis filiū, qui & sororem ex patre suam oppressit. Quid autem ei hac de causa obuénit 2.Reg.13?

Et quia comessari & ppotare adulteria excitant,idem etiam ventris scelus hîc prohibetur,quanquàm alioquì etiam vetitum est,vtì Lucæ 21.Ephe.5. Aluo plena & saturа,corpus ad nil aliud est aptum,nisi ad peccãdum. Qui loquitur hac de re scriptura? Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere,Exo.32.1.Co.x.Et DEVS ipse ait: Cùm saturâssem eos, fornicabant, Hier.5. Occasiõe hac Lot ille probus ad incestũ deuenit,Gen.19. Eadem & Holofernes eò ferebatur,vt pbæ illi Iudith concũbere(magno suo malo)affectaret, cap.13.

Huc etiam multùm facit Ociari, vt Sirac non immeritò dicat,Ocium multa docere mala, Eccĩ 33. Et Ezechiel partes istas vniuersas, per quas libido venerea concitatur,connectit,videlicet his verbis:Hęc erat iniquitas Sodomæ sororis tuę:Superbia,saturitas,mollities cum ocio, cap.16. Profectò nihil Dauidem in adulteriũ adeò protrusit,atquè ipsum tãtummodò ocium. Lege 2.Regum XI. Sic & Dina opprimebatur,iam huc scilicet spatiatũ pgressa,Gen.

33. Veteres dicebant: Semper aliquid operare, nè quãdò te satan ociosum offendat. Sunt cõplures adhuc aliæ Mundi illecebræ, per quas incauti adulterijs & fornicationibus irretiuntur: quales sunt, choreæ, ornamenta, & cantus &c. Herodias saltabat, saltandoque ità regi placebat, vt cor eius in se transferret, Mat. 14. Mar. 6. Ornatus non habet magnam laudem Prouer. 7. Ezec. 23. 1. Tim. 2. 1. Pet. 3. Quid mũdanus cantus valeat, facilè Sirenes amabiles præ se ferũt. Postremò, quoniã & immunda verba ad opera faciunt, eadem hîc etiam cum alijs occasionibus & incitamentis vetantur. Quanuìs alioquì etiàm expresſìm prohibita sint, vtì à Paulo Ephe. 4. & 5. Certè ità se res habet, vt mali sermones, bonos mores corrũpant, 1. Cor. 15. Hoc facile ex quorũdam impudicorum poëtarum sermõibus & Pogij facetijs est depræhensu. Aequè huc praua societas, contra quam Salomon loqui solet, facit. Item meretriceæ cantilenæ, quibus tanquàm veneno inficitur iuuentus. Peccatur itaque contra præceptum istud opere ipso,

vtì auditum. Dein autē multo magìs & imprimìs, per malas & impuras cogitationes cordis, aduersùm quas CHRISTVS loquitur Mat. V. & Eccī XX. Postremò per os, nempe vtì auditum, per impudentia & obscœna colloquia, rudes facetias, Mundoque placentes amatorias cantilenas. Quis verò dubitet, etiam illos qui adulterijs cooperātur & consentiunt, item qui adulteras & adulteros copulant & hospitantur, huius mandati reos esse? Cæterùm DEVS adulterium prohibendo, coniugiū seruari iubet. Id nullus matrimōij hostis inficiari potest. S. Paulus docet, ob vitandam fornicationem, suam quenque vxorem propriam habere debere, 1. Co. 7. Hæc est optima contra mandati istius præuaricationem medela. Iam verò satìs non est, vnam tātummodò propriam vxorem habere, nisi & ea contentus sis, castumque cum ea torum conserues. Ad ea pertinent ieiunium & sobrietas. Extra domum sensus & oculi custodiēdi, corpus tegendum, modestiq; gestus ostendendi. Inter homines tacendum, aut certè sua cuiq;

lingua compescenda, nè quid inepti effutiat, neu in alijs Christianā disciplinam præuaricantibus, voluptaté habeat aut captet.

## SEPTIMVM DEI MANDATVM.

## Non furaberis.

FVRTVM plerique tantummodò æstimăt quasi dedecus mundanū: peccatum esse vix putant. Nobis verò iuxta DEVM pariter & pro grandi peccato, quum scriptura ipsum prohibeat, & iuxta mūdum, pro magno dedecore æstimădum. Quid? Furtum est scelus contra Legem Naturę, quam & sapientes Ethnicorum agnouerunt, quorum vnus ait, Alterum alteri quicquā rapere, suumq; commodum aliorum incōmodo augere, magis esse cōtra naturam, quàm mortem. Quomodò igitur aut quid dictat Lex Naturæ? Omnia quęcunq; vultis vt faciant vobis homines, ea facite illis. Iam interroget quisq; semetipsum, an æquo animo la-

turus esset, si sua sibi furtim aut raptim tollerentur: tum cõperiet præceptum hoc suo cordi inscriptum, Rom. 1. non solùm lapideis tabulis Mosis, Exod. 34. Et reuerà vel hinc tantùm depræhẽdi facilè potest, quantum scelus oporteat esse furtũ, quandò populus DEI res furto sublatas olim sic odirent, & quasi abominationem existimarẽt, vtì Iosuę VII. facilè cernitur. Et Tobias dicit: Non licet nobis edere aut tangere furto subrepta, cap. 2. Aduersùs istud flagitiũ sunt pœnæ in Lege Domini, iuxta exigentiam peccati, statutæ. Nam cùm res ista nõ sit vniformis, etiam castigatio eius vniformis nõ est. Plagium (seu plagiatus) enim, quod fit quandò cuiquam sui filij aut famuli abducuntur, morte mulctatur Exodi 21. Sanctus Paulus hæreditatem regni DEI furib⁹ adimit 1. Cor. 6. & prædones excommunicat 1. Corint. 5. In Romanorum Imperatorum legibus, furtum sub pœna suspensionis prohibetur. Turca simplicem furem primò virgis castigat. Si idem rursùs eodèm redierit, manum ei desecat dextram; Si ter-

tiò,

tiò,pedem. Si quartò,suspendit.

Furtum,in corpore fit paritèr & in bonis.In corpore,cùm quis alterius vxoré aut filiam clanculùm sibi assuefacit. Hoc modo furtìm pulchra illa Dina surripiebatur Gen.33. Huic furto par erat, quòd rex Saul Dauidis vxorem Michol,tametsi suam filiam,adimi iuberet,1.Reg.25.Quemadmodùm & Samsoni sua coniũx abripiebatur, alijq; tradebatur,Iudic.14.& 15. In bonis, velutì cùm Nabothi sua vinca per violétiam & licentiam raperetur,3.Reg.21.& cùm rex Achaz domum Domini spoliaret,2.Paral. 28. & cùm Achan preciosa illa κειμήλια seu clinodias apud Hierichuntem furaret, Iosue 7. Eiusmodi fures erant & filij Eli, 1.Reg.2.& Iudas Iscariota,Ioan.12.

Militibus suo stipendio non contentis,præuidendum,qui se huius præcepti immunes apud CHRISTI tribunal excusent.Raptores publici ipso statìm opere hinc cõdemnantur. Sedentarij prædones sua certissima furta excusare non valent. Excoriatores & corrasores(quomodocunquè nomi-

nentur, nobiles aût ignobiles) acriter hoc DEI mandato accuſantur. Negociatores, mercatores,& inſtitorium iſtud vulgus,tegere ſe, quomodocunquè velint, poſſunt: mandati verò huius omninò pauci eorum rei non ſunt.Nam præcipitanter ditari,ſimpliciter non contingit. Fœneratores, campſores,noui Iudæi,monopolæ, & qui abiecto ſcilicet fœneratorum vocabulo, nouè Finantiatores(id eſt, fœnerantes) vulgò dicuntur:probi quidem viri appellari,talesq́; ab omnibus honorari queunt, reuerà autẽ ſunt fures:ſuſpenſioq́; illorum & patibulũ ibì ſic inueniet̃,vt petituri ſint, ſe cum ſua Iudaica haſta inter pauperes fures,innocenti etiam manu,inter cælum & terram fuiſſe ſuſpenſos.Qui largitioni ſtudent,ſæpenumerò etiam fures redduntur: quo autẽ modo,ipſiſſimi optimè nôrũt. Operarij etiam ſubtilia furta rarò intermittũt:furacibusq́; vnguibus ſe libenter ſcabunt: fures autem eſſe nolunt,niſi DEVS ſuo tandèm die illos dephendat. Nos furti neminem alligamus. An verò illi qui magìs àccipiũt & con

gregant, quàm edunt & inter calamitosos distribuunt, sint ab hoc DEI mandato penitùs liberi, sinimus DEI iudicio commendatum. Magnis diuitijs affluere, easq́; attingere nolle, aut sordidè coaceruare, & exaduersò videre pauperem præ inopia esurire, cui pecunia aut donis facilè subueniri posset, summum ego furtũ existimo. Inter hos multi sunt, qui prędicant quidem non furandum, furant tamẽ ipsi, Rom. 2. Qui munera sumunt, & ius inflectunt, verè pessimi sunt fures. immò lupos scriptura eiusmodi nuncupat Ezec. 22. Soph. 3. Hoc præceptũ etiã literarios fures attingit, qui proximo suam bonã famam per literas furantur. Ad hunc numerum pertinent & illi, qui furata & prędata bona, prædonésve etiam hospitantur siue (quod plus est) abscondunt. Hos & alios supradictos, Esaias furum socios appellat, cap. 1. De eisdẽ Salomon ait: Qui particeps est furum, odit animam suã, Pro. 29. Et Dauid: Si videbas furem, currebas cum eo, Psal. XLIX.

Mysticè fures sunt hæretici, qui Eccle-

siæ verbum DEI furantes, interdùm etiam quomodò Ecclesia prædicant, vt ipsorum fraus non facilè à quibuis percipiatur. Ornata verò & vnicuique placentia proferũt, vt somnia sua instabilia, sub furato Christi euãgelio, imperitis nouarum rerum auidis vendant. Aduersùm tales verbifures Hieremias cap. 23. scripsit, & istorum modò plures viuunt, quàm Teutonicæ Regionis bonũ exposcit. Sunt & spirituales fures, q DOMINO DEO honorem surripiunt, eundem vel sibijpsis, vel alijs creaturis tradentes. Aduersùm tales fures scripsit S. Paulus Rom. 1. legiturq; apud Esaiam: Honorem meum, ait DEVS, nulli alteri dabo. cap. 42. & 48. Ista duo furum genera, sunt omnium pessima, nempe DEI honorem & DEI verbũ furari. Statq́ue peccatum istud semper etiam sub alijs mandatis vetitũ & puniendum.

Propheta Hieremias multa præcepta horum decem, his verbis compræhendit. Quomodò aut Quibus? Furamini, Occiditis, Adulteramini, Peieratis; Baali sacrificia offertis; post deos alienos, quos ignora-

tis, itis. Hoseas etiã cap. 4. Maledicere, mentiri, occídere, furari & adulterari, victoriam obtinuerunt. Ità cernitur, hæc decem mandata sæpè ac semper hoc pacto inter populum istũ agitata fuisse, tanquàm breue oĩm DEI mandatorum argumentum, sanctam quãdam decadem, quæ ipsi etiam sanctè & gloriosè in Arca custodiêrunt & circuntulerunt, Deut. 10. Et postmodùm forsan etiam Ethnicis innotuit, quid Iudæorum DEVS ipsis agere vetuerit. Nam hinc Q. Horatius vno propemodùm versu hæc tria DEI mandata comprehendit: Ponere leges, Neu qs fur esset, neu latro, neu qs adulter.

Conclusio est, DEVM & Mundum iubere, videlicet nè cui vel ĩ corpore, vel in vxore, vel in bonis dãnum fiat. Iam vetatio ista tacitè secum fert mãdatum: Nam DEVS qui malum prohibet, idem & bonũ iubet. Scriptumq́; est, Declina à malo: hoc est primũ. Et fac bonum: hoc est secundum, Psal. 36. DEVS ait, Non furaberis. Id audio, omittereq́; propter DEI iussum libenter volo. Cæterùm quæro, Si istud mihi obmittendum,

dum,quid tum deniquè faciendum? Iam prodit mãdatum, dare te videlicet iubens. Iamq́ue agere habes. Quid verò? Redde male parta bona, Ezec.33. fiasq́ue quidam quasi Zachæus, vt DEO verè dicas: Ecce Domine, dimidium bonorum meorũ do pauperibus; & si quem defraudaui, reddo quadruplum, Luc.19. Ad hũc modum sanctus Paulus hoc septimum præceptum tractat, principiò dicens: Qui furatus est, non ampliùs furetur. Deindè, quid tum sit faciendum, ait; Verùm laboret ac operetur manibus suis aliqd boni, vt habeat vndè tribuat indigenti, Ephe.4. Ibì vtranq; speciem habes, videlicet: Non furari, sed dare.

## OCTAVVM DEI PRAECEPTVM.

Non loquéris cõtra proximum tuum falsum testimonium.

QVONIAM iudiciaria negocia ferè testimonijs peraguntur, ac testes de his q́ sci

sciũt, interrogãt: testimoniũ ferre, est hoc loco Hebraicè, respondere, vocatũ. Nõ respondebis, ait Moses, falsum aut mẽdax testimonium aduersùs proximum tuum. hoc est, Non solùm proximo tuo nullam facies violentiam manu, sed nec lingua quidem. Multa est hominum iniquorum turba, qui libenter hunc aut illum morti traditũ vellent: & cùm id opere ipso perficere nequeunt, venenosis linguis suis experiũtur: currunt ac volant, leuant ac mouent, prodũt, accusant, mentiuntur, traducunt, pudefaciunt tam diù, donèc tandèm suæ res succedant, animiq; sui refrigerentur. Eiusmodi non occidunt quidem pugno, sed alioquì fideliter eò suppetias ferunt: & cùm innocentibus vitam quoquomodò ademerint, complodunt manus suas, lætantur, & aiũt: Eugè Eugè. Fit autẽ ferè, vt istiusmodi dracones Tartarei, etiam suũ deincèps præmiũ adipiscantur, quemadmodùm & Scriptura ait, falsum testem non manere impunitum, Pro. 19. immò docet falsos testes eadem afficiendos pœna, qua innoxios petebant affectos.

ctos. Lege Deut.19. Hac de causa apud veteres Romanos lex Remia fuit. Aduersùs eiusmodi satanicas linguas stat mādatū hoc, ipsasque in die illo iudicabit & condemnabit. Quātum sanguinis humani in vita cōn seruaretur, si nisi testes falsi, quorum plerique odio, pleriq; auaritia pleni sunt, obstarent? Nam iudicia ferūtur, aut ferri vtiquè debent secundùm iustitiam, vt neminem absq; culpa & causa libenter morti sint tra ditura. Ibì tum rei summa ex testibus pendet, quorum eloquium aut noxijs crucem infert, aut innoxios è patibulis soluit, Numer.35. Deut.17. & 19. Heb.10. Cùm igitur testimonium tāti sit, hominesq; propemodùm diabolicè mali: iustissimè falsum testimonium respondere vetuit DEVS, ac sub eo verax testimonium respondere iussit. Quēadmodùm enim proximo falsis testimonijs noceri, sic ei & veris testimonijs valdè com modari, sæpeq; mors & infamia auerti, potest. Probus vir, cernens vel audiens proximum suum iniuria opprimi, atq; huic hoc, alteri verò illud fieri, aperiet os suum, assi-
stet

ſtet ei, cauſam pro eo dicet, excuſabit eũ ac defendet, veritatēq; de ipſo pronunciabit, per quam veritatis teſtificationem innocẽs ab iniquis obloquijs ſoluatur. Illud eſt valdè bonum charitatis opus, multisque prodeſt, DEOq; benè placet. Salomon de teſtibus huiuſmodi prouerbium fecit Prou. 14. Cæterùm alios tangit, vbì ait DEVM teſtes falſos inter ſex odiſſe, quòd mendaces ſint, diſcordiasq; concinnent, cap. 6. & vbì falſum teſtem ſagittæ acutę cōfert, cap. 25. Scriptura ſacra tacitum non ſinit, quemadmodùm & hoc præceptum inter Iſraelitas, ad iram DEI ſuper ſe excitādam, ſit præuaricatum: præcipuè in elegāti illa Nabothis hiſtoria. Ibì duo viri Belial ſtatuebant, qui falſum contra proximum ſuum teſtimonium proferrēt: hoc eſt, vt coram iudicio dicerent, quod diebus ſuis nunquàm neq; vidiſſent, neq; audiſſent. Atq; ità mēdaci eorundem teſtimonio, innocens Naboth lapidibus obruebatur. Ibidèm notũ tibi ſit, quid falſum teſtimoniũ in principum cauſis valeat, 3. Reg. 21. Ergò ſummè neceſſum

ſit

fuit vt DEVS vetaret. Sic & sanctum Danielem per iniquas linguas Babylone prodi & vendi oportuit: cęterùm veritas statìm erupit, vt innocens liberaretur. At calumniam suum anteà balneum effundere oportuit, idq́; dignè, cap. 6. Quemadmodùm & duo falsi testes, qui Susannā probam cōiugem, meretricem facere volebant: sed suum falsum testimonium eos remādere oportuit, ac per id ignominiosè strangulari, cap. 13. Eiusmodi proditor fuit Doëg Idumęus, q octogintaqnq; sacerdotibus vno die p oris sui virus, vitam ademit, 1. Reg. 22. Eiusdem probitatis fuerunt & viri illi Ziphæi, q AUlicum fauorē etiam proditorijs insinuationibus mereri volebant, vt sic Dauidem carnificinę offerrent, 1. Regū 26. Achitophel semper mala contra Dauidem consilia dabat. Verùm mala eius cōsulta, in suum consultori caput reciderunt, vt ei postremò sic eueniret, quemadmodùm Iudæ (Iscariotę) traditori, 2. Re. 17. Mat. 27. Act. 1. Hoc mandatum & in Domino nostro IESV CHRISTO, sicutì alia omnia, enormiter excedebatur.

tur. Sic describit id Marcus cap. 14: Principes sacerdotum & totum cócilium testimonium contra IESVM quærebāt, vt eum morti traderent: & non inueniebant. Multi verò testimonium falsum dicebant aduersùs eum, & conuenientia testimonia non erāt. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant aduersùs eum, & dicebāt: Nos audiuimus hunc dicentē: Ego dissoluam templum hoc manu factū, & post triduum, aliud non manufactum ędificabo. Et nō erat cōueniens testimonium illorum. Sed & in primo martyre sancto Stephano, vndè Lucas ità scribit: Statuebāt ibì falsos testes, dicentes: Hic homo non cessat &c. Act. 6. Id mentiebantur: nō enim sic à sancto Stephano acceperāt vnquàm. Testari vtiquè nihil (iuridicè quisquam) deberet, nisi quod anteà (sibi oculis vel auribus proprijs) visum vel auditū esset: Ioan. 3. Intelligis nunc demùm semèl, quid falsi testes sint, quid item expedire queant? Conqueritur & Dauid satìs miserabiliter de testibus falsis Psal XXVI. & trigesimoquarto.

Omnifarius etiam mendacij sermo, hîc est prohibitus. Ratio: SAKER dicit mendax: & Prouer. 6. testis falsus nominatim vocat mendax: Sic Deut. 5. habetur SAVE, quod se super omnes inutiles vanosq; sermões, qui nullum fundamentum habent, sed excogitati ac vani sunt, testificando fundat. Corripiuntur hîc etiam omes illi, qui homines inuicèm verbis discordiam alentibus committunt. Item vulpinatores illi seu vulpinę (quo nomine simulatores nouè appellantur) caudæ, qui coram dominis ac diuitib9 proximum suum insimulant, eiq; simultatem, sui cõmodi gratia, procurãt. Iam cùm DEVS falsum testimonium & mẽdacium vetat, pręcipit rectum testimonium & veritatem loqui. Leu. 19: Nõ mentiemini. Zachariæ 8: Veritatem loquimini. Qui verbũ DEI prędicant, ij præceptum hoc præcipuè seruarent, ac Veritati Diuinæ in populo vniuerso fidele testimonium perhiberẽt. Nam testes IESV CHRISTI positi sumus, Ioã. XV. vt verbum eius annunciemus, sicut nobis ipsum Spiritus eius, testimonium cordi-

bus

bus nostris perhibens, annunciauit, 1. Ioã. 5.

## NONVM DEI PRAECEPTVM.

### Non concupisces proximi tui domum.

FVRARI & prædari, superiùs est vetitum. Hîc vetatur concupiscentia, vt sciatur, etiam prauas cogitationes, ex quibus semper peccaminosa opera suam originem sumunt, peccata esse. DEVS proximo tuo domum & pomeriũ, agros & hortos dedit, q̃ fortassè pulchriores ac meliores, iuxtaq́; situm opportuniores, sunt quàm tui. Quid tum? Ergó ne & hos te habere necessũ? An tu viuere nequis, velut Achab ille, nisi tandèm quiduis habeas alieni? Non & proximo tuo pulchri aliquid habendum? Vis te possidere oĩa solum? Si DEVS ei fauet, cur tum fauere ei non potes & tu? Perindè charum est ei, atquè tibi, si tuum esset. Ei prædestinatum est, nõ tibi. Omitte igitur hoc,

neq; cum proximi damno, etiam si tua fieri possint, quæ eius sunt concupiscas. Sine & alios iuxta te habitare in terra homines, qui æquè libenter àc tu, vitam honestè transigere velint. Si petis & vis vtiquè cũcta, quæ oculi tui vident, habere, neque repleri potes, nisi demùm terra plen⁹ fias: agedùm sine te per vatem à DEO increpari, dicẽtem: Væ tibi qui cõiungis domum ad domum, & agrum agro apponis &c. Esaię 5. Stulte, hac nocte repetent animã tuam à te: & cuius tum erit quod parâsti, Lu. 12? Vtiquè nihil tecum sumes, verùm alienis tua relinques, Psal. 48.

Eapropter voluntas DEI hæc est, vt eo quisque contentus sit, quod ipsi DEVS largitus est atque largitur. Si id modicum est, multo securiùs & minùs impeditè ad vitã procedit. Si multum, eo plus etiam distribuendum, & posthàc plùs ratiõis reddendum habet. Non enim quisquam vnquàm satis, nisi quum sibi sufficere sinit, habet. Si proximi tui bona hęreditaria pręteris, nè respicias ea cõcupiscendo, aut tibimet ea optando,

do, sed ità fac cogites: DEO gratias, quòd & alij homines aliquid obtinent. Tolerabilius est enim alimoniȩ & sustentationi vniuscuiusq;, multos aliquid habere, q̃ vnum omnia habere solum. Si cuncta tibi propria forent, quȩ proximus circùm te habet, dic agè, quorsùm ea tibi? quî velles aut posses ea tibi commoda facere, si nemo ali' quicquam haberet, nisi tu? Ità iam hîc corripiuntur EMŨCTORES illi, qui vicinis suis ipsorum domos & agros citò in nummos conflare nôrũt: obæratis illis miseris, DEO sinente, euadentibus demùm quocunquè, siue ad stabulum, siue ad patibulum, velint.

Item violentes illi Achabitæ, q post alienorum hominum bona respiciũt, & cùm preciosi aliquid offenderint, aiunt: O si qs id proprium haberet, quî hoc obtinere valeamus? Tum demùm excogitantur occasiones, & sub iustitiæ pileolo luditur, quousquè habeât quod auent. Patriarcha Abraham non ità faciebat, sed agri partem rationabiliter, magno suî grauamine, & his q id sibi haud grauatìm permitterent, soluebat,

bat, Gen. 23. Dauid etiam ſine auaritia quaſi neceſſariò perſoluit areā ab Areuna emptam, quanuìs hic illi gratuitò dare volebat, 2. Reg. 24. Si hoc mandatum ſeruaret̄, eſſent quidē regiones multorum bellorum ſecuræ: multi etiam ludi ac permutationes obmitterēt̄ur. Iam non petuntur modò alienorum hominum domus & agri, rapitq́; eos quauis calliditate quiſque ad ſe: verùm petūtur etiam aliorum dominorum vrbes, pagi & arces, ſic, vt iſta cupiditas magnum adhuc infortuniū ſit allatura paritèr & his qui cupiunt, & illis de quibus cupitur.

Iam pręcepti huius ſumma in eo conſiſtit, vt quod quiſque à DEO habet, illo ſit contentus: nec petat quicquam amplius, ꝑſertim̄ ſi id quod vltrà cupit, ſui ꝓximi ſit, quem oporteat ſuo nō ſinè iactura carere. Præuenitq́; mandatum hoc furta & aſtutas excoriationes, auaritiæq́; viā occludit. Nam quod concupiſcendum non eſt, multo id minùs habendum aut poſſidēdum. Si peccatum eſt, aliena bona appetere: quāto magis peccatum eſſe oportet, aliena ſibi corra

dere

dere bona? Si verò octauum mãdatum seruare vis, serua hoc primò: neque sis vicini tui mobilibus aut immobilibus bonis irretitus, illud præcipuè curãs, vt tua iustè congreges, & absq; alterius damno conserues. Eiusmodi em̃, ab Ethnicis etiã virtus appellatur, idq́; verbo isto: Sufficere tibi sine, & DEVM habebis gratiosum.

## DECIMVM DEI MANDATVM.

Non concupisces proximi tui coniugem, neque eius seruum, neque eius ancillam, neque eius puerum, neque eius asinum, neq; om̃inò quidquã quod proximi tui sit.

PRAECEPTVM istud, est in Deuteronomio nonum: & quod hîc in Exodo nonum, est ibì exaduersò decimum. forsitan ideò, quòd sicut primò contra adulterium iubetur, & posteà aduersùs furtum: ità pri-

mò etiam cõtra appetitum vxoris aut personæ alienæ, deincèps aduersùm boni alieni concupiscentiam lex feratur. Nam quanto maius peccatum est adulteriũ furto, tanto est etiam concupiscentia ac voluntas ad illud, quàm ad hoc, peior. Cęterùm ex trãspositione parùm depẽdet. Secundò, in Deuteronomio vsurpantur duo verba pro concupiscẽtia seu appetitu, pro quibus in Exodo vnicum est solùm. HAMAD illic ponit de coniugis; IVAH autem de bonorum appetitu: quòd nõ eodẽ modo bona seu res, quo mulieres, appetuntur,

Iam in præcedẽti mandato dictum est, peccatum esse quòd quis immobilia vicini sui bona libẽter habere velit, malè propterea affectus, dieq; ac nocte, quî tandèm obtinere possit, volutans. Hîc peccatum esse dicitur, cùm quis hoc libenter haberet, quod vicinus suus in domo & iuxta domum habet, quemadmodùm vxorem, familiam, pecora, supellectilem &c. Ità propriè cautum est, ne vsquàm vetus Adam irrepere queat, sed relinquere cogatur alteri quodcunque

eius est, siue id sit mobile seu immobile, vinum aut non vinum, rationale aut irrationale: Vxores alienæ non modò non ad dedecus, verùm nè ad decus quidem concupiscẽdæ. Multi sunt qui aliorum virorũ mortem sperãt, vt ipsi vxores illorum posteà dũcant. Id prohibitum hîc est. Brutus ille fœminarum appetit', in quo pleriq; semimortui iacent, vitiosior est, quàm de quo hîc loqui possimus. Dominus eũ damnauit Mat. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendũ eam, &c. Ista cócupiscentia parit opus, sicutì in Dauide cum Bethsaba, 2. Reg. 11. & in Achan fure cum aureo illo κ⟨illegible⟩, Iosu. 7. Dauid erat adulter ante ipsam adulterij pꝑpetrationem, cùm istud præceptum violâsset: sic & fur erat Achan, priusquàm furtũ commisisset. Tale incommodum oculi, qui Amoris (vtì quidam ait) prænũcij sunt, confectum reddunt. Si intẽderint igitur aliena in bona, appáret illis, vicini agrum fertiliorem esse, eiusq; pecora vbera ferre maiora; indè tum appetitus eadem habendi prodit. Id vocat seruũm & ancillã appetere, quan-

dò vicinus vicino familiam, quòd probior & habilior sit, quàm sua, libenter abiugare, sibique allicere, quemadmodùm id sępè fit, velit. Pigras ac deformes ancillas cupit nemo: sed quod vel parùm aliquid valet, id habere vult quiuis. Et hinc olìm fiebant ἀνδραποδίσαι, qui erãt plagiarij seu familię fures, quos etiam sanctus Paulus inter maximos peccatores numerat; Nam isti venustos seruos & ancillas ab ipsorum dominorum famulitio furabantur & abigebant, eosque alibì vendebant. Iam quia tale patrifamiliâs graue est, prohibere DEVS voluit, quo p id coniugato domûs rectori sua semp vtilitas cõseruaretur, omnisq; callidorum hominum petulantia retũderetur. Aduersùm omnigenas malas concupiscentias ait scriptura Gal. 5. Coloss. 3. Titi 2. 1. Pet. 2. De spiritu suo nobis DEVS concedat, vt mãdata sua, sicut dilecti filij debent, seruemus. AMEN.

# IN SALVTATIONEM ANGELICAM,

## Lucæ primo deſcriptam, PRAEFATIVNCVLA.

QVONIAM HAEC omnium ſanctiſſima Angeli Gabrielis verba, ad ſanctam Virginem MARIAM in Nazareth dicta, in Euangelio deſcripta ſunt, ac per eadem MARIA IESV mater à multis hominib⁹ abſq; ſuperſtitiõe ſalutatur atque honoratur: neſcio cur hic rectè pulcher Euangelicus ſermo, à me aut alio quopiam Chriſtiano negligatur, nolo dicere, contemnatur, & à nobis tanquàm muliebre nullius fundamenti delirium præteriri debeat & obmitti. DEVS ipſe verba hæc ſuo archangelo Gabrieli expediẽda indidit atq; mandauit. Vt quid ergò DEI verbis, quę per os Angeli primùm (aut primarij) exiuerũt, exceptis validis cauſis, nõ vteremur & nos, MARIAMq; cum Angelo ſalutaremus, quemadmodùm cum

CHRISTO filio patrem in cælo adoramus?

# SALVTATIO ANGELICA.

## Aue Maria.

AB hoc primo huius salutationis verbo, hæc Euangelica salutatio suum apud Teutones nomen habet. Et est familiare alicuius alloquium, benè sentientis de illo quem salutat, per quod amor & amicitia inter homines conseruatur. Hinc olim cum salutatione & osculũ dabatur, vtì in Paulo sæpenumerò legitur, perindè atquè nunc manus dantur. Quid verò Teutonibus Grüssen aliud est, quàm grössen, quod Latinis, magnificare, sonat? Raro enim quisquam sinè laude salutatur, præsertim inter doctos ac scribẽdo, cùm & nobis inuicèm honorem debeamus, Rom. 12, vtì quidem hîc etiã Ga

briel MARIAM selectis ac gloriosis verbis re-
ctè salutat, magnificat, extollit ac laudat.
Alioqui secūdūm alias linguas tantum est,
salutare: quantum, amico alicui bono salu-
tem optare, eamq; ore simul & corde, si ità
dari posset, dare: notabile factum & fomen
tum charitatis, quantunuis modicum vide
atur, quātunuis etiam citò expediatur. MA-
RIA salutata est ab angelo. Sic ipsa rursùm
salutauit Elizabethā: cæterùm quibus ver-
bis, scriptum non est. Illud certè scriptum
est, nempe sanctam eius salutationem effi-
cacem fuisse, cùm indè baptista nōdùm na-
tus, in matris vtero lætabūdus saltârit. An-
geli sentētia hæc est: MARIA virgo, ab Esaia
propheta antè prænunciata, filia Dauidis re
gis, & nunc Iosepho, qui est è domo Daui-
dis, vxor desponsata: lætare, salua sis, hila-
remque te exhibe: id ego tibi vice DEI, cui-
us archangelus sum, mando. Hîc nulla tri-
stitia, nulla insalubritas erit, cùm DEVS ma-
gnam te facere cogitet, sic, vt te posthàc oēs
generationes beatam sint dicturę. quanuis
autem ipsum virginis nomē, MARIA, hîc
ab

ab angelo non exprimatur: iniquum tamẽ non eſt, ipſum à nobis ſimùl exprimi, ad indicandum quæ fuerit perſona illa ſalutata, coram qua Gabriel pręſens ſtetit.

Si quęſiêris quid MARIA nominis ſit, id ſcito: Maria, originis eſt Hebraicæ, duabus ſyllabis MIRIAM dicta: vndè & ab Euangeliſtis ipſa in nominatiuo MARIAM appellatur, non MARIA. Eſtque nomẽ hoc admodùm vetus: ſiquidẽ Aaron ſororẽ habuit, quæ MIRIAM ſiue (vt nos loqmur) Maria dicebatur, Exod. 15. Num. 20. Itaque nomen iſtud aliâs etiam inter Iudaicas mulieres commune fuit, vtì ſæpè in Euangelio & Actor. 12. reperitur: quemadmodùm & IESVS, quem illi Iehoſua, aut ſimpliciter Ioſua nuncupant, inter viros non infrequens erat. Maria verò ſeu MIRIAM, maris ſtillulã ſonat: cùm MAR, ſtillulam: & IAM ſeu IOM, mare ſignet. Credibileque eſt, eam Latinos hinc olim Stillã maris vocâſſe: quod poſtmodùm, forſitan oſcitanter ſcribendo, in Stella maris, eſt mutatum: quemadmodùm & in Eſdra, pro Sepem, Spem vulgò legũt

ãt ſcribunt, capit. 9. Alioqui COCHAB, non MAR, ſtella vocatur. Verũtamen ſi ipſa vtiquè à lumine denominanda eſt, oportuerit huius nominis originem ab OHR, quod lumen ſignificat, eſſe: & HEEMANTICA M, neceſſariò illi prępponi. Sic indè fieret, exigente neceſſitate, Lumen maris: poſſetque hæc virgo etiam tali nomine dignari, cùm ipſa lucem Mundi, quem Ioël ſolem iuſtitię nominat, in Mũdum ꝓtulerit. Sic etiam ipſa cum Apoſtolis & eorum ſequacibus, à filio ſuo LUX Mũdi eſt vocata, Mat. 5. Si cui placet, is poteſt Mariam myrrham maris interpretari, quum MOR etiam myrrha vocetur: Idque, mea ſententia, meliùs etiam quadrârit. Siquidem MARIA propter ſuum perſecutum filium IESVM, maris (id eſt, Mundi, Matt. 13.) eſt myrrha ſeu amaritudo. Mundus enim & eius diaboli odio MARIAM habẽt, propterea quòd ea ſalutare hoc ſuo in corpore nouem menſibus portârit, atq; in Mundo pepererit, per quod Mundus & principes eius ſubiugãtur. Poſtremò, ſi nomen iſtud Chaldaicum eſſet, poſſet ipſum

DO-

Domina maris verti, quòd MARA etiam dominam ſignet.

## Gratia plena.

FATIGANT ſe nunc plèrique vocabulo hoc Græco, κεχαριτωμένη, vtiquè vt nè gratiã ſonet, verùm ſit aliâs vnicuiq; quod velit. Cæterùm negabile nõ eſt, ad gratiam vergere, ſeu gratiam ſecum ferre, niſi fortè χάρις in ſcriptura gratiam nõ ſignet: quod alioquì interpretatu impoſſibile foret. Illud quidem verum eſt, hîc non ſtare de MARIA, velut de eius filio IESV, πλήρης χάριτος &c. Ioan. 1. Et tamẽ poteſt in ſuo intellectu hîc aliquo modo ſtare: non quòd MARIA per ſe gratia plena ſit facta, queẽadmodùm CHRISTVS per ſe gratia plenus ſemper fuit: hoc enim dicit nemo: ſed quòd ipſa quicquid gratiæ habet, id habeat à DEO, ei gratiam multam largito. Si dixeris multam gratiam habere, nõ dici, gratia plenam eſſe: reſpondeo, concedáſne ipſam ſpiritu ſancto plenam fuiſſe? Id vel inuitus cõcedas oportet.

tet. Nam si Zacharias, si Elizabeth, si Ioannes, si Apostoli, si Stephanus, si Saulus sancti Spirit⁹ pleni sunt facti, sicut de ijs Lucæ scripta testãtur: quanto magìs mater DEI, de qua Gabriel ait, Spiritussanct⁹ superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoq; & quod nascet̃(ex te) sanctũ, vocabitur filius DEI? Adhuc intelligibiliùs loquitur Angelus DEI de MARIA ad Ioseph, Mat. 1: Quod in ea natum est, de Spiritusancto est &c. Oporteret autem rari quiddam esse, si quis Spiritusancto plenus, gratia vacuus esset. Nam vbicunquè Spiritussanctus est, ibì ꝑfectò non sinè, sed cum gratia est. Quis aliter hac de re dicere velit? Itaq; iam non est MARIA Spiritũssancti gratia priuanda, cùm in ea ipsemet DEVS è Spiritu sancto sit humanatus, quod in Elizabetha, quæ tamen Spiritũssancti plena fuit, factũ non est. MARIA illum gestauit, qui om̃is gratię Diuinę sic plenus est, vt nos de plenitudine eius accipiamus gratiam pro gratia: & ipsa gratię vacua, tituloque gratię nudata foret? Audet certè sanct⁹ Ambrosius MA

RIAM gratia plenam vocare, quòd Dominũ gratiæ portârit. Sup. Lucam. Nominat eam & DEO plenam. Sanctus itẽ Hieronymus gratiam ei permittit. Et sanct⁹ Augustinus hanc salutationem, vtì nos, ità narrat. Atq; postmodùm ait: Dum Angelus hanc̃ virginem ità salutaret, tum Spiritússanctus eam fœcundauit: tum hæc fœmina virum absq; viro cõcepit: tum gratia est repleta: tum aprehẽdit ipsa Dominum, vt in ea esset, qui eam creauit. De Symb. ad Catechu. libr. 2. Rursùm Augustinus scribit: Hæc est illa virago, quam DEVS (qui ex ea nasci voluit) ità singulari gratia ꝓuenit ac repleuit, vt ipsa illum, sui corporis fructum haberet, quem vniuersitas ab initio Dominum habet &c. De Fide ad Petrum cap. 2. Sic loquitur idẽ etiam in lib. de Natura & Gratia: Hoc scim⁹, ipsi plùs gratiæ datum esse &c. Theophylactus præterire non potuit, quin & ipse κεχαριτωμένη, non solùm Gratiosa, verùm etiã Gratia plena esse permitteret. Sup. Luc.

Ideoq; repræhẽdendum non est, quòd nos ità loquimur: quum reprehendendum

fit, MARIAM gratia repletā, aut fummè gratia dotatā, aut valdè gratiofam factam effe. Iam duplicia nō funt, Gratia repleri, & gratia plenum effe: Omnia enim DEVS agit. Ex feipfo Gratia plenum effe, folū pertinet ad CHRISTVM: fed è fupernis aut defupèr gratia plenum fieri, difpergit fe etiā fuper electos fanctos, inter quos vtiquè & MARIA locum habet. Cæterùm à fanctis gratiam accipere feu habere, vtì nos & illi à CHRISTO, id verò eft error. CHRISTVS eft gratia plen9, propter nos omnes, aut propter fuam gratiam nobis omnibus communicādam. Sancti verò funt gratia repleti, quifque pro femetipfo, fic vt ipfi eandem nulli alteri con diuidere queant, nifi quod per miniftrationem fit, quam ipfi per gratiā datam in corpore CHRISTI, quæ eft Ecclefia, cōfummāt.

Iam verò quomodocunquè (quôcunquè) κεχαριτωμένη (trahatur) tractetur, tamen origo eius χάρις, vfquè cum ipfo manet. MARIA apud DEVM gratiam inuenit. MARIA coram DEO accepta & digna fuit. MARIA Domino DEO benè placita fe

cit. MARIAM DEVS ſingulariter amauit, MARIAE DEVS ſupra modũ deditus ac fa-uorabilis fuit. Breuiter, MARIA magnam apud DEVM gratiam habuit. Sinatur hæc omnia ipſum κεχαριτωμένη, etiam proprijſſi mè, velle: attamen hinc ſequitur, ipſam præ alijs excellẽter gratia fuiſſe donatam ab eo, qui erga illam adeò ex corde affectus fuit. Quantus enim fuit DEI erga MARIAM amor, tantũ oportuit & gratiam, quam ei donauit, fuiſſe. Si MARIA CHRISTO ex ſalutatione facta eſt plena, CHRISTVSq; omñis gratiæ fons eſt, qui tum nõ etiam gratia plena fieri quiuerit? Nè abſtrahas MARIAE gratiam: alioquì & ei CHRISTVM, quem ipſa verum ex ſua carne hominem peperit, fueris abſtracturus. Ego neminem à Lucæ textu violenter ago. ſed interìm tamen MARIAM Spiritûsſancti & eius gratiæ diuitem fateri debemus, quum id (abſque hoc) paritèr & ſcriptura & opus fateantur. Aliâs non legitur de vllo ſancto clarè expreſsũ, gratia plenum. quòd ſi quis ſanctum Stephanum hîc objjcere velit, is nôrit, ſanctum Lucam nõ

dicere, plen⁹ gratia: sed, plenus fide, tametsi omnes Latini libri, etiam veteres manuscripti, plenus gratia, legant.

## Dominus tecum.

Eccè, quàm velox est Domin⁹? Ipse nuncium suum Gabrielem ad virginē emisit: citiusq; ei, quàm nuncius, adest. Qui Angelum (ait Bernardus) ad virginem emittit, ab Angelo apud virginē inuenitur. Etsi verbum istud Angelicū, in scriptura rarum nō sit, quippe sæpenumerò etiam ad alios sanctos dictum: non tamen se vnquàm cuiquā aptiùs, quàm MARIAE, aptauit. DEVS erat cum Abraham, vtì scriptum est Gene. 21. & cum Isaac, cap. 26. & cum Mose, Exo. 3. & cùm Iosua, cap. 1. & cum Saule, 1. Reg. 10. & cum Dauide, 2. Reg. 7. &c. Non autē sic, vtì cum MARIA erat. Nam cum ea, seu apud eam ità penitùs erat, vt eius etiā carnem, nō modò spiritum & Animam, ad se traheret, secumq; vniret: atque non tātùm in ea seu apud eam, velut in suo tēplo, habitaret, aut

mansionem apud eam per gratiam & virtutem faceret, sed vt etiam se in ipsam mutaret, caro ex eius carne, & os ex eius ossibus, factus. Adeò propè nullum Dominus sanctum accessit. Plerique volunt, Gabrielem hoc verbum optatiuè ad Virginem loqui, sicutì eadem verba æqualiter ad Gedeonē sunt dicta, Iudic. 6. & à Booz ad messores, Ruth cap. 2. & à Saule ad Dauidem, 1. Reg. 17. & à Paulo ad Timotheū, vbì dicit: Dominus IESVS Christus cum spiritu tuo, 2. cap. 4. Verùm prior sensus, melior est. Si verò Dominus sic cum MARIA fuit, ergò ipsa aduersùs omnē satanę vim, aduersùs omnē impuritatem & peccatum, aduersùs omnē exercitum infernalē, plena gratia mansit.

## Benedicta tu in mulieribus.

VERBVM hoc etiam anteà in vsu, quandò sancti homines vnà conuenirent & colloquerentur, erat: nempe vt se inuicē benedicerent, alterq; alterū talibus benedicendi verbis honoraret. Sic Rebeccæ frater

ad

ad Abrahæ ſeruum dicebat: Ingredere benedicte Domini, Ge.24. Ità dicebat & Dauid ad viros Iabes in Galaad: Benedicti (ſiue ſacrati) eſtis vos Domino &c. 2. Reg. 2. & Pſal. 113. Sic & CHRISTVS nos poſt iudicium tranſactum vocabit: Venite benedicti &c. Mat. 25. Cæterùm iſta adęquatè verba, quibus hic Gabriel Virgini bonum nuncium adfert, & quibus paulopòſt Elizabeth quoquè Virginem eſt affata, nominatìm leguntur Iudic. quinto de Iaële, quę illic benedicta prædicatur, non tantùm inter mulieres, aut ex mulierib', vtì Septuaginta ponunt, verùm etiam ſupra mulieres. Si autem iure talis fuit Iaël, quanto magìs eſt MARIA mater Domini, vndè om̃is benedictio profluit, ſpiritualis paritèr & temporalis? In ſemine qui CHRISTVS eſt, omnes tribus terræ benedicerētur: & perſona illa, vndè ſemen illud aut humanitas facta eſt, non multò plùs, immò ſuper omnes benediceretur, nõ ob id ſolùm, quòd ſemen illud in lucẽ protulit, ſed etiã ideò, quòd in illud ſemen credidit, & quòd huius ſui filij verba audiuit,

eiusq; voluntatem fecit? Gen. 22. Gal. 3. Lucæ 1. Mat. 12. Siquidē ex Augustino de MARIA prędicatur, quòd CHRISTVM salutariùs fide, quàm carne cōceperit ac portârit. Iam eiusmodi (benedictio seu salutatio) q̄ huic Virgini à Domino obtigit, eò postmodùm euasit, atq; ità in laudem est versa, vt om̄es electi eam laudârint, ac beatā prædicârint, sicutì & nos hodiè prædicamus. Nam quæ fœmina tantum in Christianitate laudis habet? Quis non benedicit, id est, Quis non ei benè loquitur? quis non eam per omnia secula super omnes mulieres laudat & exaltat?

## Et benedictus fructus ventris tui.

APPENDICEM istam, sicut mihi ex homilia quadā videri sino, sanctus Bernardus ex sanctę Elizabethę sermōe ad MARIAM facto, huc adiecit. Nam angelus istam in sua salutatione non dixit, sed hanc præcedenti particula cōclusit. Verùm quia eadem ominò verba in Lucæ euāgelio extāt,

&

& ad CHRISTVM pertinent, absq; grauamine & nos ea salutationi adiecta, cum S. Bernardo effari debemus. pulchreq; ità factum est, quòd à MARIA ad CHRISTVM laudando ascéderetur, ibiq; maneretur: id quod ipsa petit ac fieri vult, cùm ipsi suus filius charior sit, quàm ipsamet sibi. Ecclesia itē de ea canit: MARIA laudatur propter fructum qui quæritur &c. Ad hūc modum ait Ioannes Damascenus: Honor MARIAE, in illū qui ex ea incarnatus est, reuocatur. lib. 4. Et sanctus Ambrosius: Communiter, ait, Domino asscribit, cùm seruus honoratur. lib. 5. epist. 26. Si verò benedicta est ipsa, quanto magis puer IESVS est benedictus, Mundi salutare, in quo vniuersi benedicimur, ipsamet etiam MARIA? Audi hac de re Bernardum: Non propterea quòd tu MARIA benedicta es, fructus ventris tui est benedictus: verùm ideò quòd ille suaui benedictiōe te præuenit, tu es benedicta. Ait idē amplius: Tu es benedicta, sed inter mulieres, Ipse verò est benedictus, non inter homines, non inter Angelos, sed est (vti Aposto-

lus ait) DEVS ſuper omnia in ſecula benedictus. Quòd verò Elizabeth puerum IESVM fructum ventris MARIAE vocat, facit Iudaici eloquij proprietate, in quo liberi, fruct⁹ ventris appellantur. Reſpicitque hîc Elizabeth in Moſis Deuteronomion, in quo ꝓbi (probæq́;) ſummè laudant̃, immò in quo eadem adæquatè verba, quib⁹ hîc MARIAM affatur, habentur. Benedictus fructus ventris tui, inquit Moſes ad obedientes, & fructus terræ tuę &c. cap. 28. Quanquàm puer IESVS hanc Moſaicam benedictionem ſupuolat, incomprehenſibiliterq́; plus (quiddam) ac maius eſt, quàm qui in hoc numero ponat̃, ipſo vel iuxta humanitatẽ, vel iuxta DIUINITATEM reſpecto.

## Ieſus Chriſtus.

CONCEPTI pueri nomen neque Gabriel, neque Elizabeth ea vice adiecit, vti nos in vſu habem⁹: ſed additum eſt vtiquè ab aliquo, tanquàm gloſſa ſiue declaratio verbi illius, Fructus ventris tui, per figuram quam

quam vocant Appoſitionem. Neque malè eſt adiectum. Siquidem nomẽ hoc benè ac tempeſtiuè vſurpatum, credentibus omnibus virtutem ac potentiam confert, & eſt vtiquè arx firma, verũ Eccleſiaſticis ac DEO obedientibus miniſtris. Gabriel puerũ deincèps nominat IESVM, vtì & coram Ioſeph nominat, pauloque pòſt declarat, Matth. 1. Apud eos nomen hoc IEHOSVA MASIAH ſonuit: quod nos cum Gręcis, IESVS CHRISTVS, vocamus. Teutonibus Seligmacher. Geſalbter ſonat, Latinis Saluator Vnctus: qui eſt ipſe Domin' noſter, vnicus DEI ac MARIAE Filius, in æternũ benedictus, AMEN.

SANCTA TRINITAS.

# TERTIA PARS HVIVS CATECHISMI.

DISCIP.



NIVERSA hæc abs TE audiui & accepi, non quasi humana verba, sed (vtì veraciter etiã est) tanquàm DEI verbum, quod etiam operat̃ in me, vt credam, orem & colam. Nunc quæstiões communes mouere volo, quæ multifarias, non omnifarias, in DIUINIS rebus causas attingãt. Interrogando prudentia acqritur, & rex Salomon interrogare magnifacit. Veruntamen altiùs asscendere nolumus, quàm nos DEI spiritus, qui sapientię & consilij spiritus est, ferat.

fiat. Eapropter instrue me breuibus verbis, quomodò mihi de sancta Trinitate loquendum sit, postquàm huius fidei plenitudo ex supradictis in me habitet, siue potestas hominum, siue calliditas oblatret.

DOC.

Respondeo tibi cum S. Augustino: DEVS est Vnitas vera, ac Trinitas vera. Vnitas est iuxta substātiam, Trinitas est iuxta psonas. Illud Pater proprium habet, quòd ipse tantùm Pater est, & quòd à nullo est nisi à semetipso. Hoc Filius propriū habet, quòd ipse tātùm à Patre genitus est, genitori coæternus & consubstantialis. Id Spiritussanctus proprium habet, quòd neque ingenitus, neq; genitus est, verùm à Patre Filioq; simùl procedit. Scriptura sacra testatur, DEVM propè in Mundi exordio se in sua Trinitate ostendisse. Nam DEVS creabat per verbum, qui Filius est, in superuolatione spiritûs super aquas, qui est Spiritussanct⁹, Gen. 1. Hæc vnica Deitas Matt. 28. propriè & nominatim exprimitur, vbi Dominus suos discipulos docere & baptizare iussit, In no-

mine Patris & Filij & Spiritusſancti.

DIS.

Duobus iſtis vtriuſque Teſtamenti locis hac vice contenti eſſe volumus, quouſquè in fide virilior fiam. Adhuc enim mihi lacteo cibo eſt opùs. Et de hac magna ſapientia DEI, inter perfectos perfectè tractandum ac loquendum. DEVM noui, credoque quicquid ille per Filium ſuum in terra fecit, & per Spiritumſanctū conſequenter ordinauit. Quoniam verò etiamnùm in hac temporali vita ſum, & ſempiternam vitam (quæ mihi per CHRISTVM acquiſita & promiſſa eſt) nondùm appræhendi ſeu acquiſiui: inſtrui abs te velim, quî appræhendam & impetrem, nè quò mihi tale bonum per meam ipſius negligentiam elabatur, præcipuè cùm mihi ſatanas eādem perpetuam ſalutem inuideat, meq; propterea violenter abſtrahat, vt huius tātùm Mundi recorder, illius autem obliuiſcar.

DOC.

Reſpondeo tibi cum IESV CHRISTO: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, Matt. 19.

19.DEVM nôsti, verboq; eius inauertibiliter credis. Eũdem agnitum & creditum DEVM diliges ex toto corde &c.Matt.22.ac timebis,1.Pet.2.& glorificabis,1.Cor.6.eiq; obedies,Rom.6.Hoc fac,& viues,Luc.x.Post DEVM diliges proximum tuum sicut temetipsum.Id habes in vtrisque Testamẽtis,Leu. 19.ac Marc.12.Dilectio autem ista, non solùm lingua & verbo, sed opere & veritate exequenda,1.Ioan.3.Ratio: DEVS non æstimat vlla verba,quãtunuis etiam bona sint, si opera ijs non adsint. Scriptum est enim: Quid vocatis me,Domine Domine,& non facitis quæ dico?Luc.6.Et,Non qui legem audiunt,iusti sunt apud DEVM:sed qui legẽ factis præstant,coram DEO sunt iusti,Ro.2.

DIS.

Ità rescisco,me vitam æternam in fide CHRISTI per obedientiam diuinorum præceptorum,possidere oportere.

DOC.

Vt dicis, ità est. Prospice verò tibi, nè quis te inanibus verbis seducat, & ab arcta via abducat. Surrexerunt enim iamdudùm

falsi euangelistæ, sicut olim pseudoprophetæ inter populum Israel, CHRISTIque gregi non parcunt, sub Pauli patrocinio se contra veritatem Christianam tegere volētes, sed frustrà. Sunt enim ijs connumerandi, de quibus Petrus scribit, In Pauli epistolis esse quędam intellectu difficilia, quę indocti & inconstantes detorquent, vti & cęteras scripturas, ad proprium suî damnum, 2.Pe.3.

DIS.

Possum igitur facere sicutì debeo, an non possum?

DOC.

Falsi euangelistę (quorum error, veritas Pauli sit oportet) hoc in articulo naufragia duo fecerunt. Prius est, quòd dicunt obedientiam mandatorum, hoc est, opera, saluti necessariam non esse. Alterum est, q dicunt obedientiam mandatorum, impossibilem esse. Et hâc satanas directam in cælum irruptionem fecit. Ratio: Si enim illud esse non debeat, & hoc fieri non possit, lepidam ille causam habet, nihilque metuere debet, multas animas è suo regno eripiendas,

das, DEIque faciem conspecturas. Conserua te in boni pastoris ouili. Nullius alterius vocem, quantunuìs dulciter sonantem, audi. non enim periculo vacat. Cape verbũ hoc: Editus es à DEO, vt in ipsius ac sanctorum communionem venires. ob id te ad lauacrũ baptismi vocauit, in quo Adę noxam deposuisti, ac te ab omni pristina scelerum eluuie purgari siuisti. Aderat ibì tum sinè dubio Spirit⁹ DEI, quo tempore idem Spiritus cor tuum per Ecclesiæ fidem purgauit, suamq́; gratiam in id, quasi in purum vas, infudit. Posteà DEVS vitam tuam cõseruauit, donèc ad intellectum venires, ipseq́; ab eodẽ DEO tuo audires. Aduersùm hoc nunquàm te opposuisti, neque murmurâsti, sed omnia spontè suscepisti, cùm anteà sic tenero cordi tuo, ꝑsertìm in baptismo, desupèr è cęlo impressum esset. Postremò DEI beneplacitum est, vt nunc sanctum eius verbum absque coactione auscultes, immò voluptatem auditu capiàs, vt propemodùm tibi videaris absque eo viuere haud posse. Quum hæc iam ità se habent, tum ve

rò ex fidei prædicatione concipis Spiritum sanctum, qui te anteà, dum post baptizationem tuî, CHRISTI membrum esses, afflauit. Si ergò spiritus & gratia DEI te inhabitat, immortaleque semen, id est, verax DEI verbum, tecum habes, tibique DEVS fidem ac dona, prȩter alios electos, immò seipsum dedit: benefacere vtiquè potes, vtì debes, & eiusdem dilecti tui DEI (cuius sacramenta, verbum, spiritum ac fidem habes) mandata, tibi seruatu possibilia, seruare. Testatur nobis paritèr & lex Mosis, & Euangelium CHRISTI, DEI mandata obseruatu impossibilia non esse. Lex Deut. 5. Mandatũ quod ego pcipio tibi hodiè, ait DEVS, non est difficile, neque mirabile. Euangelium 1. Ioan. 5. Hæc est charitas DEI, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia nõ sunt. Quis hoc se testimonio contentum reddi non sinat? Non opùs est tibi, Mosaica hoc loco verba timere: siquidem NIPHLETH MIMECHA hunc adfert sensum: DEI mandatum nõ esse mirabile, difficile, alteq; supra te, vt conqueri velis, ipsum altius esse, q̃ vt

at-

attingere poſſis, quòd DEVS, cuius mandatum hoc eſt, tam ſublimis reſideat &c. Hinc Septuaginta ipſum interpretãtur ὑπερόντος, hoc eſt, eleuatum, immenſum, aut quod appræhendi non queat. Eapropter DEVS ſua mãdata deſupèr miſit, eaq́; iuxta nos q̃ propinquiſſimè poſuit, vt nos ità gratia donati, dummodò tantùm vellemus, ſeruare aut facere ea valeremus, reſpiciẽdo quòd is qui illa iuſſit, nobis cooperetur, nosq́; ſibi cooperatores eſſe velit.

DIS.

Immò niſi caro, in qua peccatũ & om̃e malum habitat, & quæ ſimpliciter (dicatur aut prædicet ei quicquid libuerit) nõ vult, obſtaret.

DOC.

Nè ità loquare, niſi Chriſtianus ac gratia donatus non es. Nonnè regeneratus es deſupèr è ſupnis, ex aqua ſcilicet ac ſpiritu?

DIS.

Haud ſcio quidem aliud.

DOC.

Regenerationem ergò iſtam in te non

percipis? Non sentis aliquid donorum spiritualium apud te, per quod te aliter, quàm infidelem, affectum ac temperatum offendas? Carnem habemus omnes, spiritum verò etiam habemus. Id audire vult nemo. Si autem spiritum non habuerimus, CHRISTI non sumus. Sin CHRISTI nõ sumus, quid ad nos Ecclesia eius ac verbum? Est vtiquè verum, habitare in carne nostra peccatum, eiusq; desiderijs nos agi ad malum. Iam percontor ego, Num ergò necessum sit nobis, facere quod caro velit. Quis nobis id iubet? Est caro noster domin⁹, an nos eius per DOminum IESVM domini? Quam aliam ob causam in terra sum⁹, nisi vt præliemur aduersùs propriam nostram carnem, nè frenũ ei remittamus, sed vt sub dominio spiritûs contineamus?

DIS.

Præceptor mi, contradictionem modò factam, mihi ignosce. Erat ẽm aliundè multò, quàm à me ingesta. Verùm stupidus adeò non sum, quin intelligam nõ debere vitam nostram esse rosaceam choream, dum

ali-

alioquì futuram vitã,quam credimus ęternam,assequi velimus.Quin operæprecium esse oportet quod hîc in hac vita agim⁹, vt in illa ociosi incedamus, dominelliq; sim⁹, cùm post exãtlatum laborem,volupè sit feriari. Iam sum aliquanta de libero arbitrio dubitatione,LAUS DEO,solutus:tantumque intelligo, quòd Christiani sup captiua voluntate non egeãt queri. Nam vbì DEI spiritus est,ibì nulla est captiuitas,verùm libertas. Si hoc est verum,vtì est, quomodò tum Christianus post gratiam,captiuũ aut seruum arbitrium,ac non multo magìs liberũ dominansque,ad om̃e bonum haberet?Primùm nostra volũtas sic erat malo alligata, vt se ad bonum vertere haud commodè valeret;at nunc eam Domini Spiritus liberauit,vt iam velit,possit ac valeat, quicq̃d DEVS à nobis petit.

DOC.

Rem acu tangis,Ad superiora autèm respõdeo,Ecclesiam idcircò multifaria spiritûs exercitia,quibus filios suos in spirituali disciplina ac timore conseruet,habere.Si

verò nil aliud neceſſum eſſet, quàm vt crederemus ac fideremus: quid tum foret, habere nos non ſolùm de conuerſatione tot DIuina mandata, verùm etiam eiuſmodi exercitia & vſus in communi cõgregatione? Apoſtoli cũ ſuis diſcipulis, Apoſtolicis illis viris, Eccleſiã Chriſti nõ modò ſua de ſalu te DEI prædicatiõe in toto orbe ædificârũt atque inſtituerunt, verùm ſua etiam doctrina & hortatiõe in ordinem ac bonum ſtatum redegerunt, ſic vt multi etiam incredu li, cùm eiuſmodi Eccleſiaſticum ordinẽ vidiſſent, in faciem caderent, DEVM adorarẽt, ipſumque in Chriſtianis veraciter eſſe fate rentur. Iam ordo iſte ſemper ità digeſtus fu it, vt myſteria ſiue ſacramenta cum grandi prouidentia, ſtudio, timore ac deuotiõe inter populum Chriſtianum non tantùm do cerentur, verùm extrinſecùs etiam ſeruarẽtur: vt per hoc populus DEI, longè ſup Iſrael, abſq; intermiſſione, in vnitate, in charitate, in honeſtate ac pbitate ſimùl contineri, emendari, conſummariq; poſſet.

Narra agè mihi, quid olìm ſuis in cœtibus vſitatè ſeruârint. nam & me id ſcire decet.

DOC.

Principiò, dum Eccleſia adhuc tenera eſſet, manifeſtos vſus paucos habebant: & pauci illi, erant valdè boni. Cæterùm quo magìs adoleſceret, eo magìs ĩ bonitate decreſcebat, & ĩ multitudine accreſcebat. Neque primùm ità magna, quatenùs ad populum attinet, erat: Paucos ac bonos Epiſcopos, Paſtores, Doctores, ſacerdotes, Diaconos habebat. Habebat autem multas virgines modeſtas, multas viduas probas, & inprimìs multos ſanctos Martyres & cõfeſſores. Cùm hi publicè ſimùl conuenirent, ibì tũ CHRISTO ſeruiebant, quomodò vel ſcriptis vel ore ab Apoſtolis didiciſſent. Iuxta morem hunc, nos qui propè ad terminum pendentis Mundi venimus, concorditer vitam noſtram dirigeremus.

DIS.

Interrũpo verba tua. Dic, obſecro, meq́; de ſacro veroque CHRISTI corpore, q̃brevìſſimè potes, doce.

# DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

DOC.

IPSE eſt illud,& non ſanctus verúsve panis,vtì plerique ſomniant.Secundò LEX eſt,vt non ſolùm cernatur & circũferatur, ſed etiam vt ſumatur.Tertiò,ſumi debet in memoriam, quòd IESVS CHRISTVS apud Hieroſolymam in ligno mortuus ſit propter nos,ſuiq; corporis ac ſanguinis hoſtia Mundum liberârit. Quartò, nos ei pro hoc ſummè gratemur,idque ea gratiarum actione,quod eſt Eccleſiæ Sacrum: eumq;, redemptorem,propter ſuam paſſionem,laudemus & honoremus.Quintò,vt nos ſecũdùm & per hoc ad Chriſtianã communionem,mutuamq; charitatem, moneamur & obligemur.Sextò, vt etiã nos per hoc Chriſto capiti noſtro magìs ac magìs adiungamur, cum eo vnum fiamus, & ad eum, immò in eùm poſtremò penitùs veniamus, ac ſempiternè cũ eo viuamus.Septimò,vt nos

eti

etiam per hoc in fide noui testamenti stabiliamur, DEIque gratiam identidèm meliùs agnoscamus. Octauò, etiam vt nós per hoc maiorem erga DEVM & proximum charitatem adipiscamur, cùm illic vniuersi ex vna CHRSSTI mésa esúri, fratresq; ac sorores inuicèm futuri sim⁹ &c. Eccè, propterea sumimus hoc sacramentũ. Huc verò spectat antecedens probatio, vt nè indignè sumentes, in iudicium sumamus.

DIS.

Enarra mihi sacram scripturam de hoc Sacro aut Sacramento sacrosancti corporis CHRISTI.

DOC.

Duę præ manibus sunt huius negocij figuræ. Vna describit Gen. XIIII. de Melchisedecis sacerdotio, in quo ipse pane & vino vtebatur: & secũdùm ordinem hunc CHRISTVS est sacerdos, Psal. 109. Eapropter etiã iuxta hũc ordinem in cœna immolauit. Altera describitur Exodi 12. vbì Iudaicus ille paschalis agnus primùm immolabatur, deindè manducabatur, in memoriam Israeli-

ticæ ex Aegypto liberationis. Iam tibi sententias de Sacramẽto (hoc) in scriptura ostendam, vt ipsemet eas scrutere ac legas. In Psalmo CX. legitur de huius Memoriæ institutione sic: Memoriam fecit mirabilium suorum misericors ac miserator Dominus: & escam ijs qui ipsum timent, dedit. Et Malachiæ 1: In omni loco sacrificabitur nomini meo, mũdaque hostia offeretur. Luc. 22: Hoc facite in meî commemorationem. Et 1. Cor. 11: Hoc facite in meî commemorationem. Rursùs ibidèm: Hoc facite, quotiescũquè biberitis, in meî commemorationẽ. Item, Mortem Domini annũciabitis donèc veniat. Iterumque Paulus: Probet autẽ seipsum homò, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui em̃ manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, nõ dijudicãs corpus Domini. Mat. 26: ac Mar. 14: de hoc etiam legis. Ioãnes cap. 6: ità scribit de cœna, in qua CHRISTI corp⁹ & sanguis corporaliter sumuntur, vt tamẽ de spirituali esu ac potu, sinè quo corporalis parũm commodi adfert, magìs loq putet.

DIS,

DIS.

Quod ſupereſt hac de re ſcitu oportunum, diligenter ex prædicationibus Diuini verbi, & ex libris veterum Eccleſiaſticorum Doctorum, diſcere volo. Nunc me parumpèr, q̃d Baptiſm⁹ ſit, abs te inſtructũ velim.

# DE SACRO BAPTISMO.

DOC.

PRINCIPIÒ fateris te ſacrum baptiſmum ſuſcepiſſe, ſic, vt eundem denuò ſuſcipere, neceſſum tibi non ſit?

DIS.

Vtiquè.

DOC.

Nam iteratus baptiſm⁹ in Eccleſia eſſe nõ debet, niſi forſan de alicuius baptiſmo (rationabiliter) dubitaretur, aut ſi quis nõ iuxta rectam Eccleſiæ formã, hoc eſt, abſq; verbis impoſitionis, baptizatus eſſet: aut ſi quis in alíus, quàm CHRISTI, nomine bapti-

ptizatus esset: contra quod sanctus Paulus 1.Cor.1.agit. Vt verò non mireris, fieríne possit quòd quis extra rectam baptismi formam baptizetur, legitur quòd Valentinistæ baptizârint olim In nomine patris omnium, In veritate matris omnium, & in nomine descendentis IESV &c. vti hoc sanctus Irenæus testatur. Et Macedonianistæ verbis etiam peculiaribus, quę Deitati Spiritûs sancti derogabant, in suo baptismate sunt vsi. Hoc autem modo baptizati baptismus, nullus est baptismus; ideoq; oportet eundem catechumenum altera vice baptizari, cùm præcedens ille baptism9, nihili fuisset, ipseq; (baptizatus ità) sinè baptismo mansisset, sic, vt istud non ad reiterationem baptismi, sed ad cautelam pertineret salutis, quéadmodùm hac de re per sanctos est scriptum. Non enim à verbo Apostoli, Vnum est baptisma, Ephe. 4. detrudi nos per quęquam sinemus.

DIS.

Quæ sunt illa impositionis verba?

DOC.

Ver

Verba ea ſunt CHRISTI IESV, à quo ſacramentum hoc impoſitum & factum eſt, ſonantque ità: Baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti: docentes eos ſeruare o͂mia, quæcunque mandaui vobis. In hęc autem verba nullus ſe Arrianus aut Macedonianus ſcie͂ter in ſua ſecta baptizari permiſit. Eapropter ſi contigiſſet q͂ eiuſmodi ſe rurſùs ad Catholicam Eccleſiam conuerterent, oportuit eos nõ rebaptizari, ſed in Eccleſia eccleſiaſticè, hoc eſt, ſecundùm exigentiam ſeu exe͂plar horum CHRISTI verborum, in vera eorundem fide, baptizari. Cape huius exemplum: Pauli temporibus erant Epheſi circiter duodecim viri, qui ſe Ioannis (Baptiſtæ) baptiſmo ſiuerant baptizari. Cùm verò idem ille (Ioa͂nis baptiſm⁹) tum temporis ampliùs in precio eſſe nõ deberet: eccè, tum ſe, cõſulente Paulõ, in nomine Domini IESV baptizari ſiuerunt. Quàm verò Paulus hîc nõ rebaptizauit, tam nullus etiam baptiſmus in veteribus factus eſt hæreticis, qui ſanctã Trinitatem nõ credebãt, verùm aduerſùs eam docebant. Quid

enim

enim esset baptizare, si verba baptismi locũ non haberent? Quid aqua sinè verbo, spiritu ac fide, conferre possit? Baptizatur ob id in nomĩe sanctæ Trinitatis, vt Trinitas ipsa om̃inò, quemadmodùm in Ecclesia fit, credatur & agnoscatur. Iam vtiquè nullus baptismus esse valet, si quis hæc CHRISTI verba super se paritèr dici sineret, ipsisque fidem nullam haberet. Idcircò postmodùm etiam fundamentaliter locata sunt, vt sonent: Ad nomẽ Patris, & Filij, & Spiritûs sancti: aut, Super nomen: aut, In nomen, accusatiuè. Habétq; sensum hunc: Baptizabitis homines aqua ad hoc, vt mysterium Trinitatis DEI suscipiant, credant, ac honorent. Sic est sacer baptismus prima doctrina: atque in ea fit prima simùl concio de sanctissima DEI Trinitate.

DIS.

Vniuersa benè intelligo, Laus DEO, sinoque me lucida adeò veritatè satiari. Iam cùm in nomen & in fidem imperscrutabilis sanctæ Trinitatis DEI, homo ego veraciter aqua sim baptizatus, idque in Ecclesia Catho-

tholica, nomenq; hoc, in quod baptiſmus ipſe eſt factus, liberè credo, confiteor ac honoro: dubiũ mihi non eſt, quin ſemèl ac verè ſim baptizatus. Doce me latiùs de baptiſmo, de quo ſublimiter ſentio, quòd hunc ipſemet DEVS fecerit & cœperit, & quẽ in Eccleſia neceſſariũ eſſe credo, & ſuſcepiſſe me agnoſco. Eſt verò aliquid etiam cum eo ſciendum, ac poſt baptiſma deincèps ei qui baptizatus eſt, agendum? an ſufficit omninò, me eſſe baptizatum? Exigit ne ſacramẽtum hoc poſteà quidquã à me, niſi vt (tantùm) credam me eſſe baptizatũ, baptiſmaq; ſuam è cælo, non ex hominibus, originem habere, vtì etiam Ioannis baptiſma habuit, Mat. 21: ſeruemq; ſanctæ DEI Trinitatis, in quam baptizatus ſum, fidem: ſolerq; me baptiſmo, quòd per eum in viam, qua ad cælum tenditur, perductus ſim ac venerim?

DOC.

Immò eſt adhuc aliquid, cuius executionem ſuſceptus à te baptiſmus exigit. Hoc ipſum poſteà te ex ſcriptura docebo. Nunc audies & aduertes quid ſit baptiſmus.

DIS.

DIS.

Magno cum affectu.

DOC.

Baptismus est lauacrum cælestis ac spiritualis regenerationis. Id testatur Domin' Ioan. 3. & Apostolus, Titi 3.

DIS.

Quid hoc est dicere?

DOC.

Primùm nati sumus ex carne & sanguine, idque infernè ex terra. Hęc autem generatio est damnata. Idcircò si salui esse volumus, oportuerit nos adhuc semèl generari, idq; supernè ex cælo. Hanc secũdam generationem, quæ desupèr è cælo fit, nominat sanctus Paulus regenerationem. Iam sicutì prima ex sanguine & carne fit in mortem, ità fit hęc altera ex aqua & spiritu in vitam. Aqua verò est sacer baptismus: Spiritus est sanctus ille Spiritus DEI. Per duo ista, siue ex duobus istis, sunt, quicunque in regnum DEI venire cogitant, baptizandi. Quòd verò ipsum Paulus vocat lauacrum, per id tacitè

citè aſſignat, baptiſmo aliquid ablui, nempe hoc, quod ex prima generatione eſt introlatum, hoc eſt, eluuié peccati & culpæ. Nam ſi noua hîc generatio eſt futura, vetuſtam anteà ſublatam oportet.

DIS.

Id intelligẽter eſt dictum. Itaque baptiſmi vis & operatio hæc eſt, quòd hominẽ à ſordibus primæ generatiõis expurget, eũq; rurſùs purũ exhibeat, ſic, ꝗ iam DEO placeat, eiusq́ue gratia fruatur. Hæc peccatorũ in lauacro baptiſmi ablutio, expreſſum vtiquè ſcripturę teſtimonium habet. De Ioannis baptiſmate ſat ſcio, ipſum in peccatorũ remiſſionem ſuſceptum fuiſſe. Sic eñ ſcribit Marcus: Ioannes baptizabat, ac prędicabat baptiſmum pœnitẽtiæ in remiſſionem peccatorum. Nihil ego (hac de re) ampliùs ſcio.

DOC.

Baptiſmꝰ IESV CHRISTI, in remiſſionem peccatorũ ſuſcipitur, perindè àc primò baptiſmús Ioannis, qui ad illũ benè planata via erat. De hoc teſtimoniũ habes ſan

cti Petri, his verbis: Pœnitétiam agite, & baptizetur vnusquisque super nomen IESV CHRISTI, in remissióem peccatorum, & accipietis donum Spiritûs sancti, Act. 2. Super his ꝑdicabat etiam Petrus & Apostoli Act. 5. Eccè, ibì certificaris, etiam CHRISTI baptismum dari & suscipi in remissióem peccatorum: atq; id, huius est pręcipuum sacramenti.

DIS.

Id intelligo. Sed quid hoc, ꝙ Dominus ait, iamiàm in cælum asscensurus, nos Spiritu sancto baptizatum iri? Act. 1. Et præcursor eius Ioánes in deserto aiebat, nos in spiritu sancto & igne baptizádos, Mat. 3. Luc. 3.

DOC.

Quęstiones tuas ordinatè penitùs dirigis: dummodò ad respódendum ego sim satìs.

DIS.

Quàm mox id tecum volútâsti? Nihil alti abs te peto, cùm adhuc infimi sim ego intellectûs.

DOC.

Non

Non sufficit, nos Christianos in aqua baptizatos esse, verùm & in Spiritusancto baptizatos esse ac baptizari oportet. Vtrũque hoc vnit CHRISTVS paritèr & Ioannes. Nam aqua sinè Spiritu, baptismum non facit plenum. Ideoq; Dominus hæc duo vnà posuit, nullum solum, Ioan. 3. Huiusq; demonstratio est, quòd se spiritus in creationis initio super aquam mouit, Gen. 1. Item, quòd Spiritussanctus tãquàm columba desupèr à cælo descenderet, Ioanne Dominum in Iordane baptizante, Ioan. 1. Mat. 3. Ad hoc superiùs ex sancti Petri verbis audîsti, quemadmodùm ille primùm de baptismo aquæ loqueretur, ac super id protinùs de acceptiõe Spiritûssancti, Act. 2. Cùm baptizareris, non absque spiritu & Gratia abîsti, ibique in spiritusancto baptizari cœpisti: sed hanc baptizationem super te quotidiè augeri oportet, vndè se tũ dona & fructus Sãctispiritûs in te adaugent. Quòd Ioannes spiritui ignẽ apponit, vnum cum altero exponit. Spiritussanctus Apostolis primùm in siue cum igne dabatur Act. 2. vt ità

spiritu paritèr & igne, iuxta Domini promissióem, fuerint baptizati. Spiritusq; igni comparatur, quòd ille vetustum exureret, purgatumq; cor incéderet, ipsumq; ad DEI amorem, voluntariamq; pręceptorum eius obseruationem igniret. Hunc in modũ spiritûs siue ignis baptisma, ad aquę baptismũ pertinet.

DIS.

Nunc intelligo hoc DEI verbum Ioã. 3. Qui non ex aqua & spiritu nascit, in DEI regnum venire non potest. Idcircò vtrunque baptisma, ad regnũ DEI est necessum.

DOC.

Hucusquè particulam vnam audîsti, videlicet, quomodò baptism⁹ tua peccata abluerit, teque nouum hominem, immò quasi modò genitum ex DEO infantem, Ecclesiæ donârit. Nunc itaque docendum est, quomodò prætereà ad hoc opem ferat, vt eãdem innocétiam, quam ipse tibi primùm dedit, defendere & conseruare, quousquè viuas, possis. Antecedentia peccata, vtì Paulus, seu vetera, vtì Petrus ait, baptismus tibi

ad-

ademit. Id firmiter credis. Præter hoc, efficit & istud, vt te gratia, per baptismum tibi infusa, identidèm DEO intentum seruet, cùm interior homo tuus, iuxta eum in baptismo sit creatus.

DIS.

Præstolor adhuc quiddam maius.

DOC.

Peccata tua nõ solùm in baptismo tibi sunt dimissa, verùm es, immò deberes vtiquè, in eo esse itá institutus, vt omninò amplius (si possibile foret) nõ peccares. Baptismo negocium est cum peccatis. Primò, vt nos ab eisdem emũdet; Deindè, vt nos à peccatis postmodùm mundos conseruet, semper innocentiæ Christianæ commonefaciendo. Huc enim Apostolica scripta tendũt vndiquaquè.

DIS.

Audire illa desidero.

DOC.

Ità describit sanctus Paulus hunc baptismi † *effectum*: Manebim⁹ in peccato, vt gra

tia fiat maior? Absit. Qui mortui sum⁹ peccato, posthàc in peccato viuerem⁹? An ignoratis ꝙ quicunque in CHRISTVM IESVM baptizati sumus, in mortem eius baptizati simus? Consepulti igitur sumus vtiquè cum illo per baptismum in mortem, vt perindè atquè CHRISTVS excitatus est à mortuis per gloriam Patris, ità & nos in vita noua ambularemus, Rom. 6. HOC tantum est dicere: Baptismus est & esse debet peccatorũ mors ac sepulcrũ, iterùm verò iustitiæ vita & resurrectio secundùm ęxẽplar CHRISTI. QUẼadmodùm enim ille moriebatur, atque iterùm reuiuiscebat: ità morimur in baptismo & nos, & rursùm ĩ eo viuificamur. Nos autem morimur peccatis, in quib⁹ anteà cum desiderijs vixeram⁹: & resurgimus iustitiæ, quę antè nobis erat aliena. Iterùm alibi Paulus de baptismo: Sepulti estis cũ CHRISTO in baptismo, in quo vos etiam consurrexistis per fidem operationis DEI &c. Col. 2. Vide, quàm parem det Apostolus hoc de sacramento doctrinam. Perindè atquè CHRISTVS (sentit Apostolus) sepult⁹ est, & in sepul

pulcro iterùm ſurrexit:ſic & nos in baptiſmo per abiectionem peccaminoſæ vitæ ſepelimur, & in eodem baptiſmo (qui veteris Adæ ſepulcrum eſſet) iuxta noſtrū Adam nouum reſurreximus Euangelicę vitæ.

DIS.

Suſceptus baptiſmus, hac figura nobis eſt abſtinentia à peccatis, & incitamentum ad virtutem. Idipſum eſt, de quo & ſuperiùs quæſitum.

DOC.

Ad hoc, cùm baptizaremur, etiam peccaminoſæ huius MUNDI vitæ abrenunciauimus: id quod cum multis ſalutaribus ſignis iam indè à veteri Apoſtolica Eccleſia huc uſquè habemus.

DIS.

Adiuuat etiam baptiſmus ad ſalutem?

DOC.

Vehemēter, dummodò rectè ſeruetur. Sanctus Petrus clarè dicit, baptiſmum nos ſaluare: verùm mox ſequitur, quî & quid eſſe debeat, nempe interrogatio conſcientiæ bonæ in DEVM, hoc eſt, baptiſmus iden-

tidèm ac ſemper de bona baptizati cõſcien tia quærit. Ipſe enim conſcientiã, quum adhuc mala eſſet, primò bonam fecit: iam baptizatus eam bonam conſcientiam in innocentia cuſtodiat & conſeruet, vt reſponſio eius coram DEO, quum iam de ſua conſcientia, vita & cõuerſatione interrogatus fuerit, poſſit cõſtare &c. 1. Pet. 3. Breuiter, ſerua baptiſmum iuxta verbum DEI per Paulum ac Petrum loquuti: & per fidem ac baptiſmum ſaluus eris. Hucq́ue pertinet illud Marci 16: qui credit & baptizatur, is ſaluus erit.

DIS.

Reſtat plus aliquid de ſacro baptiſmo ſciendum?

DOC.

Baptiſmus eſt etiam ſymbolũ ſeu teſſera aut ſignum, quo ij qui ad CHRISTVM pertinent, dinoſcuntur. Tertullianus eum nominat obſignatiõem fidei. Nam in eo fides Trinitatis DEI ac toti⁹ verbi eius, obſignatur atq; ſtabilitur. Eccleſia neminem ſuſcipit, niſi per baptiſmum, baptizatos ſuos agnoſcens, quomodò ſuas oues paſtor. De vniuerſo hoc negocio, ſum tibi & alijs, ſi vi-

xero,

xero, homilias aliquot ſuo tempore editurus. Modò ſimpliciter catecheſes ſcribo.

DIS.

Habuit baptiſmus etiam pręſignificationes ſeu figuras in priori teſtamento?

DOC.

Ità. Nam diluuium temporibus Noæ baptiſmum pręſignauit, vtì docet ſanctus Petrus 1. cap. 3. Secundò rubrũ mare præſignificauit baptiſmũ, idemq; ipſum ferè baptiſm⁹ fuit, quẽadmodùm ſanctus Paulus docet 1. Cor. x. Tertiò Patres aiũt, fuſile Regis Salomõis ſuper duodecim boues mare, etiam baptiſmi figuram eſſe, quòd is per duodecim legatos à CHRISTO miſſos, in Mundũ venerit, in eoq; ſit prædicatus.

DIS.

Par nunquàm eſt tempus, nihilq; eſt inſtabilius q̃ homo. Propterea exiſtimo euenire facilè poſſe, vt aliquotiès ab Eccleſia & fide ſanctæ Trinitatis DEI, poſt baptiſma plerique rurſùm labantur. Quî hoc incommodi anteuenitur?

# DE SANCTA CONFIRMATIONE.

DOC.

ADVERSUM hoc vſurpat noſtra spiritualis Mater Eccleſia ſacram Cõfirmationẽ. Eaq; iam indè ab initio Eccleſiæ fuit, vtì ex ſancto Dionyſio Pauli diſcipulo animaduerti poteſt, qui eã Teleten vnguenti & chariſmatôn spiritûs &c. vocat. Quantunuìs ipſa modò apud nos in abuſum ceſſit, ideoque apud eos qui foris ſunt, in deſpectum vénit,

DIS.

Ego neque de noſtratium abuſu, neq; de ſectariorum deſpectu quęro. Tu me tantummodò antiquam veritatem doce,

DOC.

Principiò vſus iſte indè eſt factus, quòd ipſimet Apoſtoli per ſe, aut per legatos, pgerẽt poſt tẽpus aliquod ad Chriſtianos, q iam recèns in fidẽ baptizati eſsẽt, cõfirmandos, conſtabiliendos, & corroborãdos ver

bo DEI, multisq́; ſalutaribus exhortamentis, vt intelligerent ac ſeruarēt acceptum & creditũ IESV CHRISTI Euangeliũ, in eoq́; aduerſùs omnem Iudaicam & Philoſophicam contradictionem, immò etiam contra omnes perſecutorum tyrannides perſtarēt. Hac de re ità ſcriptum eſt Act. 14: Paulus & Barnabas reuertebantur Lyſtram & Iconium & Antiochiam, cõfirmantes animas diſcipulorum, eosq́; vt in fide manerent, exhortantes: eſſe enim nobis per multas tribulationes in regnum DEI intrandum. Similiter Act. 18. profectus eſt Paulus, perambulãs ex ordine Galaticam regionē ac Phrygiam, diſcipulosq́; omnes confirmãs. Item Act. 15. exhortabantur eos multis ſermonibus & confirmabant.

DIS.

Id fiebat verbis, quemadmodùm intelligo. Aderant ibì etiam geſtus?

DOC.

Ità, nam Actuum octauo narratur, quomodò Apoſtoli audiērint Samariam recepiſſe verbum DEI, & quòd propterea miſe-

ſerint illuc Petrum & Ioannem, qui manus ſuper baptizatos Chriſtianos imponebāt, ſuperque eos orabāt, ſic, vt acciperent & illi Spiritum ſanctum. Hæc extrinſeca manuum impoſitio, facit vt Confirmatio myſterium ſiue ſacramentum vocetur. An verò ipſimet etiam Apoſtoli vngentum illuc adhibuerint, eſt abſconſum. Alioquì certiſſimum eſt, mox poſt eorum, aut etiam circa eorum vitā, ab alijs ad hoc vſum fuiſſe, propter ſecretam deſignationem, quòd ſicutì mūdus ſuos pugiles, certamen iamiam ingreſſuros, oleo vngit: ità & Eccleſia ſuis ſpiritualibus pugilibus facit, obitèr eis oſtendens, quòd ipſorum tempus ac vita, ſit luctatio & pugna aduerſùs diabolū & angelos eius aëreos, vtque ipſi ità ſe parēt, nè ab inimicis compræhendantur ac vincantur. Aſſignat etiam exterior vnctio internū chriſma ſpiritûs, vndè Ioannes 1. cap. 2. ait. Eò tendit etiam chriſma ſancti baptiſmi, quod ipſum etiā Apoſtolicū eſt, de quo aliâs agetur. Vetus quidam Theologus de hoc omninò pulchrè ait, Confirmationem ſiue con-

ſtabilitionem idcircò in fronte fieri ſolere, vt Chriſtianus nomen IESV CHRISTI & ipſius Euangelium manifeſtè ac liberè confiteatur. Melciades ſanctꝰ martyr ait: In baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam. In Aurelianenſi concilio ſtatuebatur, nè baptizati Chriſtiani priùs cōfirmarentur aut conſtabilirentur, niſi dum eſſent perfectæ ætatis, ſic, vt eius per totam vitam ſuam reminiſcerentur, ieiunijsq́; & confeſſionibus anteà il luc aptati. Legimus in Clemente etiam de Confirmatione, quomodò in baptizatis ea fieri debeat per Epiſcopos, ad recipienda ſeptemplicia Spiritûsſancti dona &c. Epiſtola 3.

DIS.

Ah, exercitamētum hoc etiamnùm aliquid faceret ad Spiritûsſancti augmentum à DEO impetrandum, modò rectè, quemadmodùm olim, ſeruaretur. Latiùs nūc me doce, quid tum, ſi Chriſtianꝰ baptizatus & cōfirmatus, per fragilitatem carnis iterùm in peccata, à qbus in baptiſmi lauacro mun

da-

datus erat, labatur. Rependum est illi tum rursùs ad baptisma, vt se adhuc semèl baptizari purgarique sinat? Aut quomodò peccata quæ post baptismum fiunt, tunc diluenda?

DOC.

Quemadmodùm ante, sic & post baptismum peccare homo potest. Verùm periculo se magno exponit. Siquidem innocentiam in baptismo receptã, postmodùm amittere, non est quiddam leue. Tunc verò leue quid esset, si quotiès iterùm peccamus, totiès rebaptizari nos ac relini sinere possem⁹. Sed hoc esse non potest. Super hoc dicitur ab Apostolo Heb. 6. & 10. Eo pacto fieremus etiam Hemerobaptistæ, sicutì olìm Iudæi, qui sic vocabant, quòd se quotidiè baptizarent aut lauarent &c. Adhuc tamen DEVS ità misericors est, vt nos, quantùm ad se pertinet, errare seu periclitari non sinat. Sed adest ibì, sanctamque pœnitentiam ferè loco relutionis suggerit, sic, vt si post baptismum ceciderimus, per pœnitentiam iterùm surgere, & ad communionem sanctorum cõuerti possimus. Primùm DEVS bapti-

ptizatis eorum peccata, propter IESVM filium suum, remisit: Ità iam & pœnitētibus, propter IESVM filium suum, peccata eorum dimittit. Cæterùm vtì ad remissionem primò necessarius erat baptismus, ità nunc remissioni pœnitentia adsit oportet.

DIS.

Siccinè res habet? Quid igitur est pœnitere, aut in qbus tandèm consistit?

# DE SANCTA POENITENTIA.

DOC.

POENITERE, est eius quod malè gestum fuerit, pigere ac pudere, indeque sic ex corde dolere, tanquàm si cor nouacula discindat. Nam qui verè pœnitet, bono animo non est: sed in semetipsum iratus incedit, murmurat secum, execratur sese, oblo-quitur sibimetipsi, conspuit & condemnat seipsum, quàm maximè potest. Adfertque pœnitudo ista talē subindè dolorē, vt q eo

la-

laborat, velit cũ Iobe se in terra natum non esse, aut certè statìm ex aluo materna sepulcro illatum.

DIS.

Christianum gratia donatum, malè adfici vtiquè oportet, si quandò contra DEVM ac proximũ suum peccârit: Adeò con sciẽtia nostra vel semet de nobis vlcisci no uit. Et quis iram Diuinam libenter ferat?

DOC.

Interno hoc cordis dolore, questu ac fletu, contentum se reddi Christianus pœnitens nõ sinit: verùm abit, ꝓdit semetipsum, accusatq; se coram Ecclesiastico sacerdote, perindè àc se priùs, animo contrito & corpore super terrã humiliato, coram DEO incusârat & culpârat.

DIS.

Id ipsa, ni fallor, confessio erit. De hac sat habeo legere domi. An pœnitenti etiam plus est agendum?

DOC.

Ah, libenter omnia quæcunque ei facienda sunt, facit, vt tãtummodò rursùm pec

catis exoneretur, iterumque DEI amicitiã, quam post suũ baptisma ante relapsum tantam habuit, adipiscatur. Incipit DEVM rursùs vehementer amare, orat deuotè, elemosynas distribuit, omnibusq; hominibus iuuandis agilē se facit. Omibus ei malè operatis, ex toto corde ignoscit. Non discutit vitia alicuius occulta: & quod ab vllo tacitum est, id in apertũ ipse rursùs haud profert. Restituit bona iniustè acquisita, si potest. Cum aduersarijs suis, si velint, concordat. Pro comesationibus suis ieiunat. A superbia & pompa per humilitatem decedit. Iniuriam eo mitiùs fert, quo iracũdior anteà fuit. Fit ad cultum DEI tanto vigilantior, quanto ignauior priùs fuit. Eo plùs in pauperes distribuit, quo plùs antè per vsuram corrasit. Custodit linguam suam à malis & scurrilibus verbis, quàm vehementer infrenis oris antè fuit. Sũma: Credit verbis CHRISTI, sui omniũ clementiss. Domini, in quibus se à peccatis soluit.

DIS.

Hæc erit illa satisfactio, si rectè aduer-

to. Quid verò cùm ſcelera tã immania ſunt, quæ Chriſtiani poſt baptiſmum proteruè committunt?

DOC.

Publica magna ſcelera, publicam pœnitentiam & confeſſionem volunt, quòd excommunicationi ſubſint. Acris huc virga pertinet, vtì Teutones aiunt. Nam ſempiterna DEI pœna, temporali Eccleſiaſticæ excommunicatiõis ſupplicio eſt anticipanda. Id verò fuerit non ſolùm diſciplina & emendatio eccleſię, verùm etiam miſericordiæ in miſero peccatore opus.

DIS.

De vinculo ſeu excommunicatione legere aliâs volo. Modò id tantùm audire debeo, quod me (abſque chartis & atramẽto) ore & linguà doces. Vbì fundatũ eſt in ſcriptura omne id, quod modò es de ſacra pœnitentia locutus?

DOC.

CHRISTVS IESVS ait Mat. 9. veniſſe ſe peccatores ad pœnitentiã vocatum. Eze. 18. Nũquìd mihi placet mors impij, ait Domi-

minus DEVS,& non(multo magis hoc)q̃ il le se conuertat à via sua, ac viuat? Et mox: Cõuertimini ab omnibus vestris transgressionibus,& non erit vobis iniquitas in ruinam:id est,ꝑpetrata scelera vobis haud nocebunt. Et cap.33. Malitia impij non faciet, vt ipse propterea in die illo præcipitetur, si modò se à sua malitia auertat. Actorum tertio prædicat S.Petrus: Pœnitentiam agite, & conuertimini, vt peccata vestra deleantur &c.

Iam & de pœnitentiæ operibus scripturam habe: Prouerbiorum 28. habetur sic: Qui suas præuaricationes tegit,huic nõ benè succedet: Qui verò confitetur & omittit,is misericordiam consequetur. Ex hoc oraculo vulgare illud ĩter nos verbũ emersit:Nõ ampliùs malè facere, summa pœnitentia est. Et Dauid:Dixi me velle præuaricationes meas Domino cõfiteri:ibi tum remittebas mihi malefactũ peccati mei, Psal. 31.De contritione:DEVS, spiritum cõtritum & cor contritum non despicies,Psal.50.Et S.Ioannes:Si confiteamur peccata nostra, si

delis eſt DEVS ac iuſtus, vt ea nobis remittat &c.1.cap.1. Et S. Iacobus: Confitemini alterutrùm peccata vr̃a, cap.5. Ampliora (ſeu plura) pœnitẽtiæ opera. Danielis 4: Placeat tibi vt peccata tua eleemoſynis redimas, & iniquitates tuas miſericordijs pauperũ. Et Salomon: Miſericordia & veritate placatur iniquitas, Pro.16. Et Dñs: Si remiſeritis hominibus debita eorum, & vobis veſter cæleſtis pater remittet, Mat.6. Iterùm Dñs: Multa ſunt ei dimiſſa, quoniã dilexit multùm, Luc.7. Ad eiuſmodi & ſimilia facta, ſequit̃ ſancta abſolutio in verbis Chriſti: Dimiſſa ſunt tibi peccata tua, Mat.9. Luc.7. Item: Quicquid ſolueris &c. Mat.16. Quidq̃d ſolueritis &c. Mat.18. Quibus remiſeritis peccata &c. Ioan.20.

DIS.

Gaudeo in corde audita veritate. Eſt verò plus aliquid mihi diſcendum?

# DE SACRO CONIVGIO.

DOC.

DOC.

De Matrimonio, de Ordine & extrema Vnctione, me, vt etiam te instruam, decet.

DIS.

Modicum & bonum.

DOC.

Matrimõium nõ est ab hominibus, sed à DEO, sicutì baptismus. nisi per Matrimonium antea in Mundo nati, hominesq; facti essemus, regenerari cælo, angeliq; fieri non possemus. Matrimonium enim reddit homines, baptismus Christianos, è quibus angeli posteà fiunt, Matt. 22.

DIS.

Est status coniugalis, vetus?

DOC.

Veterior esse, q̃ est, non posset. Quàm enim vetus est Mũdus, tam vetus etiam status Matrimonialis, in primo illo masculo & fœmella, Adam & Heua, inceptus & institutus ab ipsomet DEO, idq; in paradiso et in innocentia, priusq̃ vllum peccatum esset &c. Quæ omnia in sacri Matrimonij glori-

am cedunt. DIS.

Vbì hoc inuenero ſcriptum?

DOC.

In primo libro Moſis, cap. 2. Ibi lege, & originem fundamentúq; coniugij videbis.

DIS.

Permanſit etiam coniugium poſt innocentiam primorum hominum? an eſt cum ipſis lapſum, & è paradiſo exactum?

DOC.

Non. Matrimonium eſt in protoplaſtis ſeu primocreatis hominibus cœptũ, ac deinceps in Patriarchis ante & poſt diluuium ſtrictè ſeruatũ, ſicut in Noë, Iaphan, Lot, Abraham, Iſaac, Iacob, & eius filijs vſq; ad Moſis tempus. Tum ſtatus matrimõialis in legem probitatis & honeſtę ordinationis ꝑ DEI mandatum eſt redactus: vt agnoſceretur, DEVM hoc, qualem nos vitam agamus, curare. Primò ſtatuebatur, nè quis alterius vxorem concupiſceret, caperet, comprimeret, vtì ſuperiùs in ſexto & decimo præceptis auditum. Mox, quemadmodùm puellæ vitiator, puellam cõiugio acciperet, aut

pe

pecuniam daret,Exod.22.Et Iſraeli gentiles vxores ducere vetitum erat,Exo.24. Et quomodò puerpera ſuo ſe tempore vſque ad purificationē domi cōtineret &c. quod etiam ad ſtatum coniugalem & eius decentiam pertinet,Leu.12. Similiter Leu.15. vbì DEVS ordinat,quemadmodùm ſe fœminæ mēſtruatæ gerere,item quomodò tales intactæ manere,debeāt:Ezech.18. Sic eſt etiā de Matrimonio,vbì vetatur,q̄ perſona non ſit ambiēda, aut alioquì etiam non paſsìm tangenda,Leu.18.adiecta grandi pœna Leuit.20.Et quæ ſacerdotum filiabus,ſi prę-uaricarentur,pœna inferretur Leuit.21.Et quid in zelotypia,hoc eſt, quandò coniūx coniugem ſuſpectam haberet aut ęmularetur,fieri deberet,Nūe.5:Et quomodò ſe vir & vxor,ſi votum fecerint, gerere debeant, Num.30.Et ſingularis lex poſita Num.36. Et quomodò DEVS adoleſcentum coniugū curam habeat,mādans eiuſmodi primo ſui coniugij anno militiæ oneribus liberos haberi,Deut.20. Et quomodò permiſſum ſit, mulieres in bello captas ducere,Deu.21.at-

que iterùm contra virginum defloratores, Deut.22. Et quomodò repudij libello vtendum esset, Deut.24. Et de illo qui coniugẽ defuncti fratris ducere nollet, Deut.25. &c. Eiusmodi omnia pertinent ad statum coniugalem, assignãtq; quòd DEVS eundem nõ tãtùm æstimet bonum, sed quòd velit eum & impræuaricabiliter & rectè seruari, quo sic diuinè & honestè, non quasi inter pecudes, transigatur.

DIS.

Hæc sunt ex veteri Testamento. Quî verò in nouo? Est matrimonium inire, adhuc diuinum & rectum?

DOC.

Vtiquè. Hoc tempus, sicutì illùd: quantunùis olìm hęretici quidam contra id prędicarent, perindè quasi peccatum esset, si Christiani ducerent vxores. Ea verò prima ex nouo Testamento sacri matrimonij laus est, quòd noster Dominus IESVS CHRISTVS ex virgine quidem, sed quæ viro Ioseph desponsata foret, etsi nondùm ei domum translata, nasci voluerit, Matt.1. Et ꝙ

ipse

 
ipse Dn̄s præsentia sua & discubitu sacrum Matrimonium in Cana Galilææ constabilierit, & aduersùm cunctos Matrimonij hostes, Essenos & hæreticos, ipso opere asseruerit, Ioan.2.

DIS.

Confirmauit etiam Dominus IESVS Matrimonium verbo, sic, vt in sua Ecclesia absq; peccato esse queat coram DEO, ac sinè dedecore coram Mundo?

DOC.

Certè. Ipse enim DEI verbo, quod ex Mosis libro sumpsit, illud sub suo confirmauit, dicēs: Propterea relinquet homo patrem & matrē, & adhærebit ad vxorem suam, & erūt duo caro vna. Neque id solùm, sed eosdem etiam copulauit, & constabiliuit aduersùm cunctos qui eos disseparare vellent, dicens: Quod DEVS coniunxit, homo nō separet. Ibi ex verbo (DEI) habes, inprimis, Matrimoniū esse corā DEO rectū: Secūdò, inseparabile ipsum, vsquè dum mors separet, esse debere, Mat.19. Mar.10.

DIS.

 quid

Quid de Matrimonio ſentiunt Apoſtoli?

DOC.

Quid aliud, niſi quod ipſorũ noſterq́; Dn̄s ac Magiſter? Sanctus Paulus coniugium vocat Myſterium ſiue ſacramentum, propterea quòd ipſum ꝑ CHRISTI & Eccleſię communionem deſignetur, Ephe.5. Ad Corinthios laudat ipſum præ alio incommodo, cùm dicit, Melius eſt nubere quàm vri. Itẽ, Ad vitandam fornicationem habeat quiſq; ſuam propriam vxorem &c.1.cap.7. Quanquàm Viduitas & Virginitas ibidèm p̄ Matrimonio laudatur, reſpectu huius præſentis neceſſitatis & regni cælorum, Matt.19. Ad Timotheum, laudat Matrimonium vtì Chriſtianum, in hoc quòd de hæreticis, Matrimoniũ quaſi non Chriſtianum blaſphematuris, vaticinatur, 1.cap.4. Sed & ſanctus Petrus benè de illo ſentit, & huc bonã coniugij doctrinam addit, 1.cap.3.

DIS.

Quid de hoc tota ſentit Eccleſia?

DOC.

Benè. Ipſa eſt enim Apoſtolica, Matri-

monium ſacrum aduerſùs hereticos, adulteros & fornicatores, extollens & conſeruans. Eius multifarium ac magnum in ſuis veteribus ac nouis ſcriptoribus teſtimoniũ habet. Auguſtinus peculiarẽ de bono coniugij librum ſcripſit. Ambroſius alicubì dicit, ab Abraham hominibus diſcendum, nè Matrimonium contemnant &c. Et in quinto Hexemerôn, lepida de coniugatis, quomodò ſe inuicèm gerere debeant, ſcribit. Salomon breuibus verbis cócludit: Qui inuenerit mulierem bonam, inuenit bonum &c. Pro. 18. Verũtamen aliquandò fieri poteſt, vt matrimonium pleriſque ſit impedimentum regni DEI, velut ex parabola Luc. 14. eſt videre. Et in tertio illo genere eunuchorum, Mat. 19. Eiuſmodi nec Paulus tacet 1. Co. 7. Hinc Hieronym' in hac re tam rigid' fuit, queadmodùm ante ipſum Tertullianus. Verumq; eſt, homini qui ſinè muliere aut viro manere poteſt, multo cõmodius eſſe ad vitam æternam, quòd in cœlibatu degit, quàm quòd in re Matrimoniali. Sanctus Auguſtinus magni facit clauſtralẽ

vi-

vitam ac virginitatem veram, pcipuè in epistola 179. ad Probam & Iulianam, loquens de Demetriade; Generosius &c. beare, nuptias nesciendo, quàm multiplicare pariendo: & in carne iam imitari Angelorum, q̃ ex carne adhuc numerum augere mortalium. Hęc est vberior fœcundiorq; felicitas, non ventre grauescere, sed mente grandescere: non lactescere pectore, sed corde candescere; non visceribus terram, sed cælum orationibus parturire.

DIS.

Concubinatus est profectò iniquus.

DOC.

Iniquus, & iudicio addictus. Ità stat scriptum: Honorabiles nuptię, & cubile impollutum. Fornicatores autem & adulteros iudicabit DEVS, Heb. 13. Adulterium & fornicatio sunt in veteri testaméto dãnata, Nũe. 25, Deut. 23. 2. Reg. 12. Pro. 29. Iob 31. Hier. 23. Oseę 4. In nouo testamento, Mat. 15, Act. 15. Rom. 1. 1. Cor. 5, & 6, Gal. 5, Ephe. 5. Coloss. 3. 1. Tim. 1. &c.

DIS.

Qua-

Quarè Matrimoniũ eſt à DEO inſtitutum?

DOC.

Multifarias ob cauſas. Prima eſt, humani generis multiplicatio, veluti ſcriptũ eſt: Creſcite & multiplicamini, Gen. 1. Secũda, vt vir adiutricẽ ac ſociã in anguſtia hui⁹ calamitoſę vitę haberet. Nam Heua erat Adę EZER, hoc eſt, Auxilium ac ſuppetię, Gen. 2. Immò coſta vna ex eius corpore, os ex eius oſſibus, & caro ex eius carne, ſic, vt ipſa etiã à viro nomen obtineret. Siquidem ipſe vocabat IS: indè nominabat eam DEVS ISA, longè aliam Viraginem, quàm poetica illa Pallas fuit. Tertia, vt fornicatio vitaretur, 1. Cor. 7. Quarta, ꝙ in externo coniugio, ſpirituale & cæleſte Matrimoniũ IESV CHRISTI & eius Sponſæ Catholicæ Eccleſiæ ſacramentaliter deſignetur, Ephe. V.

DIS.

Eſt hac de re plus aliquid ſciendũ? quẽadmodùm libẽter id credo, ſic ipſum in publica Parochiæ meæ prædicatione de die in diem diſcere volo.

DOC.

Si

Si quis libenter boni quid de coniugali ſtatu legere velit, is legat Eraſmi Roterodami librũ, Inſtitutio Chriſtiani Matrimonij appellatum, ac pręcipuè ſecundam & vltimam partem. Ibì comperies omninò pulchrè & aptè deſcriptum, quemadmodùm Chriſtiani Matrimonio cõiuncti, domi ſuę erga ſe inuicèm, erga ſuos liberos, erga ſuã familiam gerere ſe debeant, ſic, vt vnũquenque dicere oporteat: En, ij ſunt verè Chriſtiani homines, & à quibus alij homines exemplum Chriſtianę œconomiæ ſeu diſpenſationis domeſticæ, haud indignè ſumant.

DIS.

Libenter ac toto corde eundem legam, intelligereq́; & inſculpere mihi velim. Iam verò mihi de Ordine aliquid narra.

# DE SACRO ORDINE.

DOC.

NECESSVM eſt, Epiſcopos, Sacerdotes, Paſtores, Diaconos &c. ĩ Eccleſia chriſtia-

ſtiana eſſe, qui tanq̃ Apoſtolorum ſucceſſores, CHRISTI miniſtri, & diſpẽſatores myſteriorum DEI ſint exiſtimandi, 1. Cor. IIII. Suntq́; hi, q dona gubernationis à DEO habent, vndè S. Paulus 1. Cor. 12. Tales fermè ſunt id, quod sacerdotes ac Leuitę in ſynagoga erãt, quorum ſemèl temporibus Dauidis in Iudaiſmo aliquot millia fuêre. Lege de his 1. Pa. 24. Iudaici ſacerdotes fiebãt ex vna ſingulari tribu, à duodecim ſeparata, q̃ vocabat LEVI. Cæterùm noſtri sacerdotes fiũt indifferẽter ex tota Chriſtianorum multitudine vocati & electi.

DIS.

Intelligo, primũ hac in re, eſſe vocationem & electionem. Quid poſtea?

DOC.

Electionem ſequitur Ordinatio, & confirmatio eius quod fuerit electum. Ordinatiõem ſequitur Authoritas & officium ſeu Domini opus.

DIS.

De vocatiõe & electiõe Epiſcoporũ & ſacerdotũ, ex ſcriptura mihi primùm narra.

DOC.

Acto-

Actorum primo ait sanctus Petrus ità: Oportet vnum ex his viris,qui nobiscū fu erunt omni tempore,&c.testem resurrecti-onis eius nobiscum fieri. Et statuerunt du-os &c.orantes &c.miserunt super eos sor-tes &c.Hîc vides,quem ritum sancti Apo-stoli in suis Electionibus habuerint.ritusq; iste benè cessit,quemadmodùm in S. Mat-thia appáret.Hęc electio per sortes facta est. Vocatq; opus hoc à S.Luca,Suffragijs cre-ari:quod ego nominatìm ψήφισμα(id est,iu dicium per suffragia)vocare possum. Cre-doq;,suffragationem apud nos etiamnùm indè nominari.Actorum 6.Apostoli ad di-scipulos sic aiunt:Dilecti fratres, cōsidera-tè inter vos septem viros testimonij boni, (hoc est,de quibus bonum dicitur)Spiritu sancto ac sapientia plenos,quos constitua-mus super hoc opꝰ &c. Illic audis etiam de vocatione Diaconorum,quæ coram vniuer so populo grata fuit.Actorum 13.comperis ità:Ministrantibus autem illis & ieiunanti-bus, dixit Spiritussanctus: Segregate mihi Barnabam & Saulum in opꝰ hoc, ad quod

cos

eos vocaui. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos. Hîc electio vocatur segregatio seu separatio. eadem tamen res est. Actorum 14. sic habes: Et eligebant illis presbyteros in omnibus Ecclesijs, orantes & ieiunantes, eosq; Domino in quem crediderant, commendantes. Hęc Presbyterorum electio, manuum ostensione facta est, sicut in Lucæ verbis est videre: posſetque opus hoc χειροτονία dici, propterea quod pro signo cōsensûs, in electione manus plurimæ inter populum erigerentur. Theologi Græci eligere hoc, etiam προχειρίζειν vocârunt. mihiq; videtur, istud prælectionem siue præiudicium fuisse, quod vel quam chirotonia deinde sequeretur. Essent multa de omnibus, si quis ocium haberet, dicenda.

DIS.

De his causis agè latiùs narra.

DOC.

Post vocationem seu electionem ex & pro multitudine huius populi, electi ipsi, ab alijs Episcopis ac Presbyteris sunt auditi, ordinati ac statuti. Nō enim id solùm specta-

bat ad populum, qui ſæpenumerò ex inſcitiâ aut etiam ex ſuî amore, & (ſeditiõe ſeu) curioſitate illic aderat: ſed aliorũ Eccleſiæ Magiſtratuum, primæ huius rei partes erãt.

DIS.

Hac de re lubens ſcripturam audiêro.

DOC.

In ſexto Actorum legis, ſeptem illos electos, Apoſtolis oblatos ac præſentatos eſſe, hosq́ue illis deindè manus impoſuiſſe. Eccè aũt, primùm ibì fiebat electio, tanquàm inter multos: poſteà verò paucis Apoſtolis circa electos negociũ erat &c. Poſt hoc, ſequitur opus aut officium. Verbumq́; DEI creſcebat, ait Lucas, numerusq́ue Diſcipulorum valdè in Hieruſalem augebat. Quum Barnabas & Saulus Antiochiæ ad ſacerdotale officium ſegregarentur, erant eorũ vnà tantùm quinque, non ſimplices homines, ſed Prophetę ac Doctores. Sub & ex ijſdem eſt Barnabas & Saulus, electus paritèr & cũ impoſitiõe manuum ordinatus, Act. 13. Spiritum ſanctum verò oportuit hac in re principalem vocẽ habere: ideoq́; hîc legit, hunc

illos eò vocâsse. Huic per homines loc⁹ datur. Et hęc vtiquè est vocatio & missio illa, de qua sæpè legitur, DEVM emittere suos ministros quos donis dotârat, vt eadem dona inter populum expēdant, ijsq; multùm fœnerentur, Mat.25. Luc.19. Sic emittebatur Moses Exod.4. & Hieremias cap.1. & Ezechiel cap.2. Ioānes Baptista Ioan.1. Ipsemet Dominus secūdùm humanitatem, Ioan.8. & Paulus Rom.1. & Apostoli Matt.10. Ro. 10. &c. An hi & horum similes multo plures, etiam ab alijs externè suscepti & confirmati fuerint, non lego: eorum autem vocatio fuit certa & recta, cùm id ostēderet op⁹ ipsum, talesque boni fructus in omnē Mundum ferrentur. Quis hac de re ambigere potest?

DIS.

Posset demùm tale fieri etiam adhuc?

DOC.

Vtiquè. Periculosum verò esset, præcipuè in his vltimis ac malis diebus. Præmonemur itaque etiam à sancto Ioāne, nè cuiuis spiritui credamus, 1. cap.4. Iactare qsque facilè potest, se à DEO vocatum, se à

CHRISTO missum esse: sed absq; magna bóni spiritûs assignatione, operumq́; ostensione, non est cuiquam statim credēdum. Ratio: Etiam falsi vates olim iactitabant, vocationem suam à cælo esse. Sed quid ait ad hoc DEVS? Ego, inqt ipse, non misi eos &c. Hier. cap. 14. 23. 27. Ezech. 13. Immò Antichristus etiam veniet in CHRISTI nomine, hoc est, præ se feret, CHRISTVM se esse à DEO missum, cùm tamen per falsa signa & miracula, quasi corporalis satanas sit futurus. Eapropter Ecclesię tales homines primùm experiendi sunt ac probandi: & hi demùm probati, ad officiū admittendi atq; iuuādi-dis.

Ego securissimum esse credo, quandò DEVS & Ecclesia simùl vocant, eligunt, ac mittunt. ET oportuerit profectò, ex talibus, notabilem hominib⁹ salutē obuenire. Hoc sit modicè de spirituali vocatione dictum: cui digressioni occasiōem dedit, quòd Lucas scribit, quēadmodùm Barnabas & Saulus à Spiritusancto vocati fuissent. Nūc reuertere ad priora, nempe electos, per Magi-

stra-

ſtratus Eccleſiæ inſtitutos eſſe.

DOC.

Non opinaberis me ſimpliciter de illis loqui, quos ſoli homines elegerint: verùm & de his, quibus DEI Spiritus, voluntas, ac ſcientia etiam adeſt. DEVS & Eccleſia vocat & mittit. Hoc dictũ eſt rectè. Attamen multas ob cauſas neceſſarium eſt, vt ijdem p homines ordinariè ſtatuantur. Eapropter ſanctus Paulus, ſicutì verus Archiepiſcopus, Timotheo Epiſcopo iubet, nè cui citò manus imponat, 1. cap. 5. Ergò & gradus Ordinum ſunt, nè qs mox ſupremũ occupet locum, ſed vt ab inferioribus ad ſuperiora aſſcendat. Hac de re poſteà. De ordinaria inſtitutione ſeu miſſione ſacerdotum, præcipitur Epiſcopo Tito, Titi 1. ſic, vt hoc opus ordinariæ miſſiõis Epiſcopalis, Cõſtitutio, ex textu Pauli & Lucæ Act. 6. dici poſſit.

DIS.

Quid hoc demùm eſt, quod Ordinatio vocatur?

DOC.

Cœptum eſt deincèps in Eccleſia Ordi-

natio dici, quod in Apoſtolicis ſcriptis manuum impoſitio & cōſtitutio vocat. Eſtq; vniuerſum res vna.

DIS.

Eſt & in exordio ſic vocatum? An poſtremò cum alijs multis (neſcio quî) primò omnium inoleuit?

DOC.

Mox à temporibus Apoſtolorum, eiuſmodi Epiſcopale op' nominatum eſt ſacer Ordo, vtì in Dionyſio Areopagita ſępenumerò eſt videre. Et in Clemētis libro 6. hęc verba legis: Cùm Petrus hoc & ſimilia dixiſſet, impoſuit manus ſuper Zachæū: orauitq;, vt Epiſcopale officium irrepræhenſibiliter adminiſtrare poſſet. Deincèps ordinauit duodecim ſacerdotes & quatuor diaconos, eisq; dixit: Zachæum vobis Epiſcopum ordinaui, quò ſcirem eū DEI timentem eſſe, & ſacræ ſcripturæ peritum. Ità vocat Irenæus ſacerdotalem ordinem Libr. 4. cap. 20. & Dionyſiu. Alexādrinus ait: Cùm Epiſcopus ordinarer &c. Euſeb. lib. 7. cap. 8. legitur Arrius in ordine Presbyterorum

fu-

fuisse, quum primò Diaconus ordinatus esset. Histor. Trip. lib. 1. cap. 12. Et lib. 9. Martianus dixisse legitur, se manus suas vtiliùs multo spinis impositurũ fuisse, q̃ cùm Sabbatium presbyterum ordinaret. Et Tertullianus etiam Ordinarios nominat. De Monogam. Alibiq; dicit, Authoritatem Ecclesiæ discrimen inter Ordinem & plebem facere. Si verò quis tergiuersari velit, cùm Dionysij duo Græcè scripserint, ideò suspectam esse Latinam vocem, Ordo: respódeo, nobis sat esse, quòd Irenæ⁹ & Tertullian⁹, qui Latini fuerunt, Ordo scripserint, haud dubium quin iuxta Ecclesiæ Christianæ vsum. Ad hæc Paulinus Augustini Discipulus, sacerdotij Ordinem Epistola 35. appellat. Et in Eusebio tale Ruffinus Presbyter, atque etiã Epiphanius valdè frequenter ità sunt interpretati. Et Ambrosius multa dicit de Ordinibus, sup. Ephe. 4. Ordinationem item nominat lib. 1. Off. cap. 50.

DIS.

Quomodò in Ecclesia hũc Ordinẽ partiũt?

DOC.

Gradus ij ſunt, q in S. Paulo fundamentum habent, vbì de Diaconis ſcribit, poſſe illos, ſi rectè ſe gerant, multo celſiùs aſſcendere: intellige, ad Ordinem Sacerdotalem: 1. Tim. 3. Nam quòd Diaconorum Ordo ſit alius quàm Presbyterorum, in eodem capitulo facilè cernitur, vtì etiam Actorum ſexto. Quãuis autem in Paulo non exprimatᷣ, q quatuor ij Ordines ſint, tamen citò poſt eum, ſeu forſan etiam viuente eo, Apoſtolici fecêre, quemadmodùm ſanctus Ignatius generatìm, ſed ſingulatìm in Epiſtola ad Antiochenos, vbì nominat Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, Laborãtes, Exorciſtas, & Confeſſores, immò etiam Diaconiſſas, de quibus & Sedulius mentionẽ facit. Dionyſius Areopagita loquitur de Oſtiarijs, vbì de his qui ſacris ianuis præfecti erant, ſcribit. Sic Hiſtoria Tripartita de Lectoratu hoc refert exemplum: Iulian⁹ in choro Lectorum ſtatuebatur, legebatq́; ſacros libros, vt populus in Eccleſia audiret, lib. 6. cap. 2. Poſt tempus illud meminit Graduum ſeu Ordinum ſanctus Cornelius in

Epiſtola quadam ad Fabianum, vbi loquitᷣ de Presbyteris, Diaconis, Hypodiacōis, Acolytis, Exorciſtis, Lectoribus & Oſtiarijs. Euſebius lib.6.cap.33. Cornelius ille vixit temporibus Cypriani, ante annos circiter mille trecentos.

DIS.

Quod erat cuiuſque in CHRISTI Eccleſia miniſterium? Et cur Apoſtolus eiuſmodi Officia nominat Gradus?

DOC.

Sacerdotum miniſterium erat, Concionari, Immolare, & Baptizare. Diaconorū miniſterium erat, Euāgelium legere, viduarum & pauperum curā habere &c. Subdiaconorum, vt in templis ad multifaria miniſtrarēt, ſacratæq́; ſupellectili prœeſſent &c. Acolytorum, vt Eccleſiæ & quotidianis Officijs luminaria, carbones, aquam, panē, thus, &c. procurarent. Exorciſtarū, vt energumenos (id eſt, eos qui malo ſpiritu aguntur) adiurare & liberare poſſent. Lectores canebāt cum Sacerdotibus & alijs. Legebāt ſubindè prophetas. cantū Chori iuuabāt.

vndè etiam Cantores à sancto Ignatio vocant. Penè fuerunt, quales ij qui modò Barbaricè Stabilistæ dicũtur. Ostiariorum, vt pro foribus Ecclesiæ starent, intrantium & exeuntium respectum habentes. Nam pœnitentibus & catechumenis sua ingrediendi & egrediendi tempora erant. Hoc ianitores isti obseruabant. Quòd autem Officia hęc, Gradus in Apostolo dicũtur, ratio est, quòd sicut ab vno scalæ gradu seu interstitio in alterum assceditur: ità queunt inferiores pedetentìm asscendere, sic, vt hypodiaconus Diaconus, Diaconus Sacerdos, si cõperiatur esse probus & aptus, fieri possit.

DIS.

Elegans Ecclesię Ordinatio ista fuit, et quæ dignè multos incredulos ad fidem incitârit. Vndenàm sua isti nomina habent?

DOC.

Presbyter venit à Græca voce πρεσβύτερος, sonatq; Latinè seniorẽ, non tam ab annis, quàm arte & virtute.

Diaconus Latinè reddit ministrum, quo nomine sæpenumerò & Apostoli se nominant,

nant, indicantes, Spiritualia Officia magìs esse ministeria & labores, quàm potestates ac dignitates.

Hypodiaconus interpretatur subminister, tanquàm Diacono suppetias ferens.

Acolyti in his actionibus minimi dicũtur, ferè quasi lixæ in exercitu, propterea ꝙ in templis & cryptis absque prohibitione incedere, inferreq́; & efferre oportuna possent &c. Indè nominabãtur ἀκώλυθοι, id est, improhibiti, quòd nemo arceret illos in Ecclesiæ causis ire aut stare &c. Isto vocabulo vtitur Lucas Actor. 28. Eiusmodi fuerunt illi, vt arbitror, qui Episcopum sectabãtur, eumq́; tanquàm famuli custodiebant, & ab eo velut discipuli instituebãtur: cùm ἀκόλουθος (dictio pronunciatu nõ admodùm ab ἀκώλυτος aliena) sectatorẽ designet. Et hoc exempla ostẽdunt. Theophylactus scribit, Lucã sancti Pauli ἀκόλουθον fuisse, Marcũq́; Petri. Ità legitur & Chrysostomus Diodori acoluthus fuisse: & Satur Cypriani acoluthus, & Felicianus Cornelij acoluthus &c. Lib. 1. Epist. 3.

DIS.

Quid nominis est Episcopus?

DOC.

Ἐπίσκοπος vox est Græca, significans inspectorem Latinè, quod nomen Officium ipsum fert secum. Vsurpatumq́; est vocabulum hoc etiam in veteri testamēto, sicuti 4. Esdrę 11. Episcopi Leuitarum. Et 1. Mac. 1. accipit Episcopus pro principe. Athenienses ethnici famulos suos, quos ĩ vrbes suas mittebant, inspectum quid aut quomodò illic ageretur, episcopos nominabāt. Et Cicero scribit, se à Pompeio episcopum missum ad limites Campanię intuēdos. Cęterùm quo nomen altius est, eo plus curę super Ecclesiæ puritatem ij, qui hoc nomen inter Christianos ferunt, haberent.

DIS.

Est antiquum & hoc, quòd Presbyteratus vocatur Clerus?

DOC.

Valdè antiquum, sicut ex Tertulliano agnoscit, vbì dictio hæc perindè àc die hodi-

dierno vſurpatur:indè ſic dicta, quòd DEVS promiſerit, ſeſe ipſum, hæreditatem ſacerdotum fore, Deut. 10. Nam Clerus inter alia hęreditatem ſignificat, cleronom' hęredē.

DIS.

Nuncupa mihi adhuc vnum ex veteribus, qui de ſanctorū Ordinū gradibus ſcribat, cùm bonæ res iſtæ modò tam calumnioſè à Luterana factione, abſq; iudicio ſpiritûs, ex mero odio, nihili fiāt ac damnent.

DOC.

S. Ambroſius exponēs verba Pauli, DEVM quoſdam quidē Apoſtolos ſtatuiſſe, quoſdā verò Prophetas &c. Apoſtoli, ait, ſunt Epiſcopi: Prophetę, expoſitores ſcripturę: Euangeliſtæ, Diaconi copiam Euangelizandi habētes, quomodò Philippus ac Stephanus &c. Paſtores, ſunt & eſſe queunt lectores illi, qui populum lectione ſacra paſcunt &c. Doctores, ſunt exorciſtæ, qui inqetos in Eccleſia ſedant &c. Item Ambroſius in quinta Epiſtola ad Epiſcopum Comēſem, loquitur de Ordinatione, quæ ſuſcipitur per Impoſitionem manuum & benedictio-

nem

nem in nomine Domini IESV.hæc enim il le verba ponit.

DIS.

Sunt adhuc testimõia vetustissimorum præ manibus, vndè noscatur, quî olìm post Apostolos sit ordinatum?

DOC.

Testimõiorum abundè. Origenes à duobus Episcopis Alexandro & Theoctisto presbyter est ordinat⁹, Euseb. lib. 6. cap. 6. Atq; eodem tempore vocabatur iam tum sacerdotium, cap. 22. vt videas non esse hesternum aut nudiustertianum. Ambrosius à populo vehementi zelo & in tempore ne cessitatis, electus est Episcopus: & posteà se cõsecrari permisit, factusq; est sacerdos. Eusebius lib. 11. cap. 10. Ex Nicena synodo scripta est Epistola, in qua videmus quomodò populus elegerit, Episcopi suas voces Electis (si digni seu apti essent) postmodùm dederint, eosq; insigniuerint & approbârint. Histor. tripart. lib. 2. cap. 12. Temporibus Augustini solebant Episcopi interdùm ex probis ac doctis Sacerdotibus eligere sibi,

ad-

adhuc viuo corpore, successores: & hi vocabantur Designati. Ità fatetur Augustinus ordinatum se Valerij episcopi adhuc viui successorem. Hoc modo & ipse designabat Eradiũ, producens eum ad populum, ac dicens: Presbyterum Eradium mihi succedere volo. Vociferabaturq; ibì populus: DEO gratias, DEO laudes, Exaudi CHRISTE, Augustino vita &c. Ac posteà clamabat circitèr viciès, DIGNVS ET IVSTVS EST &c. Postremò petebat Augustinus, vt designatiõi huic subscribere vellent. Ibì tum exclãmabat populus circitèr octiès ac viciès, FIAT FIAT. Eiusmodi vsum legere in Epistola Augustini 110. sinè fletu nequiui. Hanc senioris episcopi designationem, populique subscriptionem sequebatur Ordinatio, quæ ab alijs Episcopis vicinarum regionum, in nouo Episcopo penitùs spiritualiter consummabatur, quemadmodùm hoc etiã Constitutio Nicena iubebat. Eusebius lib. 10. cap. 6: Mortuo sub Theodosio imperatore Attico, certabant quidam de Ordinatione. At cùm populus Sisinnium,

um,qui presbyter erat,peteret, Episcopus est ille ordinatus. Histo. Tripar. lib.12. cap. 3. Anachoretæ sub violentia dominãtis hęreseos, sua deserta exiuerunt, à probis Christianis solicitati & expetiti, seseque concionibus & disputatiõibus falsę doctrinę opposuerunt, lib.8.

DIS.

Cur Ordinare hoc, appellatur Consecrare?

DOC.

Ex Dionysio Areopagita, vbi tam sępè legitur de sacratione Presbyterorum &c. nomen hoc originem habet. Indè Paulin⁹ ad Alipium fatetur, quemadmodùm ipse sacratus, id est, ordinatus (aut cõsecratus) fuerit, cùm populus ità feruidè ei in Hispania instaret &c. Ioannes Chrysostomus sacerdotes vocat Mysterijs initiatos. Tertullianus vocat honorem ordinis sacrificatum à DEO. Iam ista sanctificatio per chrisma assignatur. Et quãuis ista vnctio, veteris testamenti esse videatur, sectæq; nasutę contempta sit, non est tamẽ ità penitùs eleuanda,

da, respectò quòd nemini obsit, verùm suâ mysticâ significatione probis etiam prosit.

DIS.

Doce me nunc de Extremæ Vnctionis signo.

# DE SACRA VNCTIONE.

DOC.

Nisì Dionysius Areopagita, apostolorum discipulus & CHRISTI martyr faceret, vix hac de re cõtra sectam rapacem vel hiscere auderemus. Si verò talis vsus primitiuis Ecclesiæ Christianæ sanctis abundè suffecit, dignè satisfecerit etiã nobis, ob id potissimùm, quòd nos q adhuc tam inepti puerilesq; Christiani sumus, eo magìs, quàm illi, indigeamus. Temporibus sancti Dionysij allinebatur oleum consecratum non tantùm infirmis, verùm super mortuos etiam fundebatur, propter singularẽ ac pulchram denotationem, de qua aliâs sum

dicturus. Nūc posterius hoc abolitum est, priusq; in vsu stabili mãsit, nempe Vnctio infirmorum. Asseruntq; & docent eam veteres Theologi ex sexto Marci & 5. Iacobi, qua de re Theophylactum super Marci sextum legere quisquam potest. Augustinus super Epistolam Ioannis ità scribit: Vnctionis sacramentum est inuisibilis virtus. Inuisibilis vnctio est Spiritussanct. Et rursùm: Spiri[illegible]alis vnctio est Spiritussanct. cuius sacramẽtum est in visibili vnctione &c. Quid hac de re clarius est, quàm hæc Augustini in veteris Ecclesię testimõium, verba? Iacobi Apostoli, ait ille, præceptum non est intermittendũ: Infirmat quis in vobis? Vocet ad se Presbyteros Ecclesię, atq; eos super se orare sinat, & oleo vngere in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & Dñs alleuiabit eum: & si peccata fecerit, remittentur ei. Ideoq; dicit Augustinus: Ora vt sic tecum & pro te fiat, vtì Apostolus Iacobus, immò Dominus per eum, dixit. Nam superlitio sacrati olei, intelligit secreta vnctio Spiritûssancti &. Rursùm Augustin⁹:

Qui

Qui ægrotat, nõ quærat magos &c. sed confidat in vnica DEI misericordia, & sumat Eucharistiã cum fide & deuotione, petatq́; cum fiducia benedictum ab Ecclesia Oleũ, per quod corpus eius vngatur &c. Hucusquè Augustinus. Certè opus ipsum in se, non potest iurè ab Ecclesiæ hostibus quasi impium aut noxium damnari, cùm eiusmodi piæ, ædificatoriæ, elegantesq́ue preces ac petitiones, ibi super infirmos à Presbytero exprimantur, sic, vt ritus iste, vel tãtummodò propter sacras orationes & consolationes, sperni nõ debeat, etiamsi vnctio coram Mundo sit contempta.

DIS.

Fuit olìm primitiua in Ecclesia sacratũ Oleũ frequentiùs circa Christianos, quàm tantummodò circa infirmos, vsurpatum?

DOC.

Vsurpatum est primò circa christianos in sacro baptismo: deincèps in baptizatorũ Cõfirmatione: Tertiò, in Episcopi & Presbyteri Ordinatiõe: Postremò, in fidelium cunctorum ægrotatione. Sacratumq́ue il-

lud Oleum, ſemper Græcè appellatum eſt χρίσμα, à quo nomine CHRISTVS pariter & CHRISTIANVS ſunt dicti. Sanctus Clemens Petri Diſcipulus, hæc verba ſcribit: Quiſq; veſtrûm ſe baptizari ſinat in aqua, in nomen ſanctæ Trinitatis ſuper ſe inuocatum. ſinatque ſe primùm Oleo, quod per orationes ſacratum eſt, vngi &c. Idem Clemens ponit quædam de vetuſto Ordinandi ritu verba, quæ Ruffinus ità reddit: Pontifex ſacro chriſmate perũctus &c. Neceſſarium non eſt, à Dionyſio teſtimoniũ mutuari, cùm vniuerſum eius Scribere in Eccleſiaſtica Hierarchia, huc vergat. Sanctus Irenæus etiam fatetur, primitiuam Eccleſiam ſuos baptizatos opobalſamo vnxiſſe, ſic, vt etiam Hæretici Eccleſiam in ſuo baptiſmo imitarentur, Lib. 1. cap. 18. Tertullianus etiam aſſignat antiquam veritatẽ, vbi de baptiſmi aqua loquitur, qua DEVS ſuos abluit: & oleũ, ait ipſe, quo ſuos vngit, lib. 1. contra Marcionem. Et alibì: Caro vngitur, vt Anima conſecretur. Cornelius loquitur etiam de quodam baptizato, cuius

ba-

baptiſma ſignaculo crucis perfectum nō ſu
erit. hęc em̄ eius ſunt verba. Euſebius lib. 6.

DIS.

Veterius teſtimonium de chriſmate baptiſmi, haberi vix poſſet. Significantiam eius & reliqua facilè adhuc diſcam. Nō enim mihi ę ſolo extrinſeco pendendum. Habeo itaque nunc iam ferè totum. Multifarię cęremōiæ inter Chriſtianum populum modò rixæ multùm concitant. Vnuſquiſpiam ridet eas tanquàm ſtultas, alius dānat velut impias, terti⁹ intermittit quaſi inutiles. E regionè ſunt qui eas magnifaciant, earumq; vſum defendant. Et ſunt qui eas per vim habere velint. Et nōnulli, qui eas libentiùs, q̄ DEI mandatum, ſeruent. Et plerique, qui eis velutì merito ſingulari cōfidant. Et aliqui, credentes ſe per eas coram DEO ſanctos ac iuſtos æſtimari: quòd ſi has res non facerēt, id ſibi in peccatum coram DEO imputādum &c. Quomodò mihi hac in re conſcientia mea & fides cuſtodienda?

# DE CAERE-MONIIS.

DOC.

HIc rei cardo est, vt ipse prospicias tibi. Errare enim homo potest. Illud scito, nempe Christianis inter se propter Cæremonias ità non rixãdum, vt (quemadmodùm dici solet) ad pugnos, quibus Christiana vnitas pereat, & exaduersò impiũ schisma exurgat, veniatur. Talia ex sancti Irenæi scriptis facilè probãtur. Irrisores cæremoniarum, sunt iniqui: multo autem magìs, damnatores. Hi enim tale faciunt proteruè, & ex beneplacito proprio, & ex senectutis Ecclesiæ odio. Diuinæ æmulationis illic parùm. Illi qui cæremonijs iustificari se putant, insensatè ꝑpter eas pugnant: confidunt in eis: per eas hæreditare cælum volunt: odiunt ac iudicant vniuersos, qui nõ faciant quemadmodùm ipsi: permittũt interìm DEI mandatum, charitatem & misericordiam, ante fores stare: sunt etiam iniusti: & tales, DEI filij non vocabuntur. Cære-

remoniæ in Ecclesia Christiana erũt, postquàm initiò in ea fuerint, & quia fructum, quandò scilicet in fide & intellectu fiunt, interiori homini ferant. Sunt, fateor, supra modum auctę, & ad nimiam ęstimationem asscenderunt. Tamen huic incommodo ità succurrendum, vt nè malum fiat peius, sicutì his annis multipliciter est factum. Illud pro me dictum volo, nempe Cæremonias veteres mihi præ nouis placere, idq; his de causis: Primùm, ob vnitatem mihi in CHRISTO dilectam: Deindè, propter amorẽ proximi, quem non libẽter offendam: Tertiò, ex obedientia pręcessorum nostrorum: fuerint alioquì vitæ qualiscunque. Quartò, vt veteri Adæ, Mundoque isti prauo, indè sit dolor. Quintò, vt ocium vitetur, aut praua etiam societas, quæ libentiùs quem saltare, ludere, potare & canere, quàm templum adire, videt. Sextò, vt per eas pietatẽ in me, erga CHRISTVM & meũ conchristianum, excitare possim. Septimò, propter honorem nominis Diuini. Octauò, etiam idcircò, quo sic assignem, me non sentire

cum nouis ſectis, quæ odio Eccleſiæ, quicquid Eccleſiaſticum fuerit, neq; viſum, neque auditum volunt.

DIS.

Quid vocabuli eſt çæremoniæ?

DOC.

Apud Ethnicos olim ciuitas erat, Cærete dicta. Eò fugerunt, obſeſſa Roma, virgines Veſtales. Cùm iam ibidèm ſuos diuinos cultus, quemadmodùm anteà Romæ, ſeruarent, euenit vt ipſarum Sacra, Cæremoniæ dicerentur, quòd Cæretani eas conſeruarent. Quanquàm alius quidam apud Gellium contendit, Ceremoniam à carendo venire. Iam verò in Chriſtianorũ vſum ità ceſſit, vtì religio & alia vocabula: capiturque à nobis, pro vniuerſis negocijs exterioribus, per quæ publicè in Eccleſijs DEI cultus perficitur: pſertìm pro minimo, communiſſimo, maximeq; rudi.

DIS.

Luminaribus in templis vti, eſt vtiquè vetuſtum.

DOC.

San-

Sanctus Hieronymus hanc veterem cæremoniam aduersùs Vigilãtium defendit. Ità legitur in Eusebio lib. 6. cap. VII. quòd Ecclesia Græca temporibus Origenis luminaria vsurpauerit. Nulla tamen hîc superstitio vel superfluitas adsit, verùm significatio ad interioris hominis emendationem dominetur. Ecclesia vetus haud nouit eos, qui opinantur se, quum cereas suas candelas superstitiosè vndiquè (seu vbiquè) disposuerint, quanuìs alioquì malè minusq; Christianè viuant, optimum DEO obsequium fecisse, suamque coram hominibus sanctitatem demonstrâsse: creduntq;, tum demùm sibi per id felicitates & honores à sanctis obuenturos. Nam eiusmodi homines nihil ampliùs quærunt, non daturi vel nouem pauperib9 elychnium vnum ad necessariam ipsorum luminationem, neque vllius mysticæ significationis rationem habentes. Cõtra huiusmodi simulatores horribile Væ Matthæi XXIII. à Domino profertur.

DIS.

Quam significationem Lucernæ in templis obtinent?

DOC.

Ardentes candelæ nos primò commonefacerent CHRISTI, qui vera lux est, ad gentium illuminationem, vtì Simeon ait Lucæ 2. & illuminans omnem hominem venientem in hunc Mundum, Ioan. 1. Eapropter quoticscunquè candelam in manu tua gestas, aut super Altare ardentem cernis, opta ac pete, vt CHRISTVS sol iustitiæ, sicutì Malachias ipsum nominat, in tuum cor luceat, omnesque indè tenebras, ad viam pacis noscendam, expellat. Secundò, commonebit nos Lucerna finis nostri, iudicijque postremi, iuxta Domini verbum: Sint, ait ipse, lucernæ vestræ ardentes, &c. Luc. 12. Quorsùm? vt per hoc Dominũ vestrum, cùm ad iudicium venerit, expectetis: hoc est, Facite bona opera, bona inter vos inuicèm conuersatione vtimini, vt præstolemini ac festinetis in aduentum diei Domini, 2. Pet. 3. Nam hîc lucernas ardere, bona opera facere significat, secundùm Domini verbum:

Lu-

Luceat,ait ipſe,lux veſtra coram hominibus,vt videant opera veſtra bona,& glorificent patrem veſtrum in cælis,Matt.5. Fides ſinè operibus, eſt quaſi candela neq; ardens neque lucens. Cui verò commoda eſt eiuſcemodi candela? Sic fides per ſeipſam inutilis eſt,quouſquè nō & virtus ei porrigatur,2.Pet.1.qua nos alijs lucemus,quemadmodùm CHRISTVS ſuo nobis verbo luxit. Nam & DEI verbum lucerna eſt, Pſal. 118. 2. Pet. 1. Eapropter quandò candelam ſeu lampadem ardentem in templo conſpexeris,ex corde opta,vt per Chriſtianā conuerſationem paratus eſſe queas in Aduentum CHRISTI iudicis: & queadmodùm iſta ſeuo, cera, aut oleo lucet,ſic tua interior lux luceat operibus bonis in gloriam patris cæleſtis. Eccè,hoc pacto lucernis ardentib⁹ benè ac ſalubriter vſus fueris. quod virgines fatuæ,dementesq́ue non faciunt ſectæ, Matt. 25.

DIS.

Quid ſunt aut ſignant vexilla?

DOC.

Sim-

Simpliciter in se modicum quid est. At cùm per ea victoriæ Domini nostri CHRISTI IESV commonemur, reijcienda non sunt. Per vexilla Ecclesiæ, prelij in quo ipsa hucusquè contra satanam & omem tyrannidem atque hæresim, CHRISTI potestate in toto Mundo lętè superauit, reminiscemur, atque de hoc gratias DEO agemus. Item p id commonemur, nos etiam hodierno die honorem DEI & Ecclesiæ quærere debere, pugnare, & vincere omes diaboli aduersùs rectam & veterem CHRISTI fidem insultus & oppugnationes, eleuatisque brachijs plaudere, omnique cum libertate canere, DEO gratias, qui nobis victoriam dedit per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, 1. Cor, 15. Sic vexilla fierent nobis id, quod erat Mosaicum Altare, memoriæ prælij in Raphidim ædificatum. Nam & DEVS est NISSENV, hoc est, erectum nostrum in spirituali certamine signum, Exod. 17. Hoc ergò dicitur vexilla rectè portare, & inprimis ordinata in Litaniæ processione, id est, quandò ex magna instanti Ecclesiæ necessitate,

tate, collectìm supplicationes denunciantur ac seruātur: quod, vtì ex Irenæo videre licet, Apostolicū, vetus, sanctūq; est opus. Libet Irenæi hac de re verba huc citare: Sæpissimè propter aliquid necessariū, ea quæ est quoquo loco, Ecclesia vniuersa postulante per ieiunium & supplicationem multam, reuersus est spiritus mortui &c. Huiusmodi autem supplicatio, Græcè λιτανία dicitur, Lib. 2. cap. 57.

DIS.

Quid sibi vult istud fumigare?

DOC.

Bifaria. Primum, quòd cum Sacerdote optare ac petere debeamus, vt DEVS ignem amoris accendat in cordibus nostris, ad se & proximum nostrū rectè feruideq; amandum, insupèr etiam nostros inimicos, iuxta DEI pręceptū, super quorum capita igniti carbones ità sunt colligēdi, hoc est, per bona charitatis opera mouebuntur à nobis ac promouebuntur, vt suam iniquitatem, nostramq; æquitatem agnoscant, Pro. 25. Ro. 12. Id esset Euāgelicè fumum facere, quod

opus ex istis exterioribus carbonibus partìm intelligi datur. Secundò, vt per hoc ad precãdum commoneamur, quum fumigare inprimìs orare præsignet, Dauide sic dicente: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Psal.140. & Apocal. cap. 5. legitur, Phialas odoramentorum, orationes sanctorum esse &c. Propterea quandò fumigari videris, fac ità cogites: Ah DEVS, sine preces meas & laudem, ad te sic asscendere, vtì odoramentum hoc asscẽdit, sintq; apud te benè fragrãs oblatio &c. Item per id recordandum nobis est, quòd Ecclesia, CHRISTI suauis odor sit, sed quibusdam in terra hominibus odor mortis, quibusdã odor vitę, 2. Corin. 2. Non enim omnes in mũdo homines, CHRISTVM & eius fidẽ assumunt: ideoque nec oẽs è morte ad vitam æternam asseri possunt. Nos verò (huiusmodi exterioribus significantijs excitati) gratias DEO agere debemus, quòd suauis eius odor sumus, ad venturã gloriam vocati ab ipso & electi. Alioquì etiam sciendum est, fumigare istud valdè antiquum esse, sic, vt

suo

ſuo ſtatim tempore indè ſcripſerit in Eccle ſiaſtica Hierarchia Dionyſius Areopagita.

DIS.

Quid eſt ſacrata aqua & ſal?

DOC.

Aqua ſignificat noſtrum ſuſceptum baptiſma, ſic, vt huius per illam commonearis, quomodò & quòd ſemèl in remiſſionẽ peccatorum ſis baptizatus, & in Eccleſiam Chriſtianam aſſumptus, ſecundùm quę vitam tibi tuam gerẽdam nôris. Præcipuè hîc commoneſies, noua conuerſatione tuo baptiſmati ſuſcepto reſpõdere. Sal deſignat, nos Chriſtianos ſalem terræ eſſe debere, iuxta DEI verba: hoc eſt, incredulos, ſuperſtitioſos, indiſciplinatos ac vanos, Euangelica doctrina & correptione penetrare, nè ſibi immortales vermes pariant, de quibus Eſaiæ 66. Nos, arbitror ego, Chriſtiani ſal nobiſcum habere debemus, Marc. 9. quod S. Matthęus vocat nos ſalẽ eſſe debere, iuxta modum prædictum. Item noſter quotidianus vulgarisque ſermo, ſale condítus ſit oportet, hoc eſt, ſtabilis, rectus, cautus &c.

Id memento fac sis & agas, quotiès in templo aut aliâs salem accipis aut vides.

DIS.

Est necessarium & templa venustè adeò esse ornata?

DOC.

Qui huic rei aduersantur, ij mâlunt eqlia & horrea suis in vrbibus, quàm templa, habere. Tabulæ & tapeta sinè querimonia & damno proximi nostri, ad DEI, eiusque verbi & Sacramẽtorum & collectionis, honorem, benè tolerari possunt. Superfluitas & superstitio non est à DEO, verùm à malo. Eaꝑpter huius rei culpabiles, repræhensione sunt digni, pręsertim si bona huc versa, hominibus fuerint (iniquè) auersa. Contra quod S. Ioannes Chrysostomus prædicat, Homil. 60. ad populum. Exaduersò etiam repręhensibiles sunt, qui ex templis auferre, quàm illuc necessitati aliquid adferre, mâlunt: quique suas ædes libentiùs ad pompam & vanitatem, quàm DEI ædem propter collectionis Christianæ deuotionem aut delectationem, expolire volunt.

DIS.

DIS.

Quid de imaginibus aut ſtatuis in Eccle ſia ſentiendum?

DOC.

Rectus hac in re limes eſt ſculpendo pa- ritèr & colendo labefactatus. Alioquì poſ- ſet ipſarum vſus cōtra veteres & nouos Le oniſtas ac Felicianos defendi. Imaginatio- nes DEI & Sanctorum eius, nullis contra- riæ ſunt ſcripturis, dummodò non adoren tur, neque auxilia ab ijs vti à DEO ipſo pe tantur & expectentur. Nam ſi Exodi vigeſi- mum his aduerſaretur, oporteret aliâs nihil etiam imaginationis creaturarum vllarum vſquàm ferri, videlicet neque eius quod ſu per terram, neq; eius quod in aqua ſub ter- ra, quemadmodùm ibì quidem DEI verba videntur ſonare. Nō liceret, ſolem, lunam aut ſtellas pingere, quòd hæ res ſuprà in cæ lo ſint: Non liceret vllius hominis imaginē fingere, etiam nullius animalis, nullius ar- boris, nullius horti &c. quòd hæ res infrà ſint in terra. Ad hoc, nullum piſcem, nullū maris monſtrū &c, quòd hæc in aqua ſint.

Quis autem non cõcedit, hæc & horum similia pingi & sculpi posse? Eapropter huius mandati scopus est, nè imagines & simulacra adorentur, quemadmodùm in Leuitico clarè exprimitur, LEHISTHAHEVOT, id est, ad adorandum, cap. 26. Ethnici talia faciebant, idcircò Israëlitis vetabatur. Nam illi adorabant similitudinem solis & lunę in cælo, & quędam fusilia terrę animalia, nominatìm Aegyptij piscium similitudines in aqua, & Philistęi cùm suo Dagon &c. Aliquì habuerũt & Israelitę imaginationes, DEVSque id sinebat, vtì Cherubim, æreum serpentem, magnum lapidem Iosu. 24. Rubenitarum altare, duodecim leones & boues, & mare fusile &c. Non autem adorabant talia: sed quòd eò tandèm cessit ęneus serpens, diffregit eum rex Ezechias in frusta, 4. Reg. 18. Nam huiusmodi etiamnùm fieri deberet idololatrię vitandę gratia, quẽadmodùm sanctus Augustinus asserit, vbì corripit eos qui proponebant, CHRISTVM non iussisse idololatricas imagines frangi &c. De consensu Euangelist. lib. 1. & ad presby-

sbyterum quendam epiſtola 49. acriter aduerſùm idololatricas imagines ſcribit. Multùm ſanguinis olìm fuſum eſt ſub Cęſare Theodoſio, quòd Chriſtiani idolorū imagines, prępertìm Alexandrię, ſuſtinere nollent, Ethnicique inſenſatè defenderent. Lege Hiſtor. Tripart. lib. 9. Item poſteà, quandò Chriſtiani cū ſuo Epiſcopo Abda, Perſarum Pyrium euerterunt, Lib. 10. cap. 30. Eiuſcemodi idolorum imaginatio, ridetur & à proprijs ipſorum miniſtris: mordetque eam quàmmaximè Lucilius Poeta. Hinc etiam populus Seres dicti, nullum inter ſe ſimulacrum habebāt, neque Pompilius Numa vllum Romę in ſua ethnica religione fieri iuſſit. Lactantius idolorum imagines rectè expedit, & Euſebius de Pręparat. Euangelic. Negari à nemine iurè poteſt, quin quādò imaginatorium opus nouę idololatriæ inter nos Chriſtianos anſam daret, & quandò ob hoc Iudęi & Gentiles adire nos haud vellēt, alioquì ad nos affectum habentes, meli⁹ eſſet nullam factam imaginem in Chriſtianitate videri. Aliâs imaginatorium

opus doctis pariter & indoctis prodest, in hoc quòd indoctos instruit, & ad sacrę historiæ intelligentiam ducit: doctos, rerum Diuinarum commonefacit. Excitanturq; ij sępè per sensibilia ad pietatem, sępeque ad emendationem vitę suę commonentur. Maiores nostri non habuerunt alium imaginũ vsum, quàm quomodò auditum. Primoq; sic inoleuerunt ob simplices ac minùs intelligentes, & qui breuis memorię essent, sicutì etiam Ioannis Damasceni verba id prę se ferunt lib. 4. cap. 17. Eaque de causa, Cęsares Philippicus & Leo, hoc in negocio nõ benè fecerunt, quòd omnigenas imagines, etiam sanctæ Crucis, in Christianitate contritas & reiectas voluerunt, apud summos Pontifices Cõstantinum & Gregorium ob id malè audientes. Id factum est fermè circiter annum Domini septingentesimum.

Veteres Romani nobiles olim suorum Maiorum imagines apud se asseruabãt, ponebãtque easdem suas Ceras passim in domibus suis, vt posteri talium hominum virtutes recordarentur, easq; imitarentur. Quęad-

admodùm de Manlio Torquato legitur, & de Titinnio Capitone, qui imagines Brutorum & Catonum omnes domi suæ habebat, easq; propter virtutes honorabat. Plinius in quadam Epistola ad Macrinum, pulchrè scribit, quorsùm imagines vtiles sint. Ipsius verba audiamus: Erit ergò pergratũ mihi, hanc effigiem N. subindè intueri. Etenim si defunctorum imagines domi positæ, dolorem nostrum leuãt: quanto magis eæ, quibus celeberrimo loco nõ modò species & vultus illorum, sed honor etiam & gloria refertur? Et proximè ante hæc verba idem ait: Quo quidem honore, quantùm ego interpretor, nõ modò defuncti memoriæ dolori patris, verùm etiam exẽplo prospectum est. Acuent ad bonas artes iuuentutem, adolescentibus quoquè (digni sint modò) tanta præmia constituta: acuẽt principes viros ad liberos suscipiendos, & gaudia ex superstitibus, & ex amissis tam gloriosa solatia. Caius Suetonius testatur, Cæsarem Augustum iunioris Germanici statuam in cubiculo suo stãtem habuisse, eãq;

 quo-

quotiès intraret, osculatum fuisse. In Diogene Laërtio cernitur, vix vnum ex præcipuis philosophis fuisse, qui non etiam suiipsius imaginem domi habuisset, aut certè post mortem suam fieri, eandemque honestis in locis statui curâsset, vt sic eorum memoria superesset. Huc etiam ζωγραφία, id est, pingendi ars, olim exercebatur, quo per eã affectiones spectantium mouerentur, sicut alicubi pictum erat, mulierem quandam suis vberibus auum suum lactâsse & conseruâsse. Eiusmodi excitant omnium inspectantium miserationem & compassiõem, haud aliter àc si talia cernerentur viua, non absque vtilitate. Immodesta, mundana, stulta, excogitata pictura nullò facit, nisi ad peccatorum occasionem, presertim cùm eiusmodi committuntur & in templis. Nostri Iconoclastę seu Imaginum hostes ex noua secta, odiunt ac reijciunt Sanctorum imagines, Iudaicè & Felicianiter satìs, psternentes eas humum, dissecantes, comburentes, perindè àc si in ligno milites fieri vellent, sicutì quidã virilitatẽ suam in statuis mor-

tuis ostenderunt. Sed quum nec ipsi absq; imaginibus viuere possent, quid fecêre? Ibì statim pro Sanctorũ imaginibus, suas ipsorum imagines pinxerunt: Pro veterib⁹ Euangelistis, nouos: pro Christianis primitiuis, hodiernos hæresiarchas: sic, vt quocunquè in illorum domos veniatur, nõ offendatur imago vlla, qua ad pietatem moueri quis possit, sed meros Turcas, Vuaschas, Sultanos, Russos, Solymanos, & alios Ferri Mansores. Ibì cernuntur in omnibus ianuis ac parietib⁹ huius sectæ antesignani, meretricum balnea, choreæ, lusores, cantores, psaltriæ, sanguinis & prælij concitatores, agricolarum discissiones, nasuti fratres, moriones, mensæ secundę, auaritia, exercituum seu prælij commissiones, alięque seculares res, per quas multi ad malitiam illiciantur, præterquàm quòd per hæc etiam cogitationibus malis peccatur. Nolo meminisse, ꝙ modò, quicquid famosum est & ad leuitatem stultitiamq; facit, pingatur, ematur, & vbiquè publicè affigatur, in despectum alterius ac damnum, quod est aduersùs cha-

ritatem fraternam. Eluuie porrò tali suas illi hodiè domos exornant, damnantque interim hos, qui templa priscorum atque verorum sanctorum imaginibus, iuxta exemplum Paulini Nolani, expoliunt. Verùm his de rebus modò satis.

DIS.

Est & veteris Ecclesiæ, quòd Christiani sanctæ Crucis ante se faciunt signum?

DOC.

Vtiquè veteris est Ecclesiæ, venitq; primùm ex propheta Ezechiele & Apocalypsi. Nam Græcum τ tau, nostrę crucis formam habet, vndè elegãter scribit Tertullianus libro 3. contra Marcionem. Aptatque se hæc similitudo etiam Hebraico, quod ipsum hoc, cùm per se quasi verbum stat, signum vocetur. Quòd autem istud Crucesignare, valdè priscum sit, habemus manifestam demonstrationem ex Tertulliano, cùm dicit quem in modũ Christiani suas frontes hoc signo depingant seu notent, quandò vel egredi vel ingredi velint, & ad omne negociũ &c. Frontẽ signaculo terimus, ait ipse,

&c.

&c. Lib. de Cor. Milit. Post hunc Lactantius multa de signo passionis CHRISTI, eiusq; efficacia scripsit, nominatque etiam signatam frontem, Lib. 4. de vera sapien. De Tropheo Crucis, prę qua (vel quo) satanas horret, eam videns aut eius cōfessionem audiens, lege sanctum Ignatium ad Phil. Eusebius lib. 4. eiusmodi etiam testatur, cùm de Cæsaris Constantini visione signi Crucis, ac Labaro seu vexillo scribit. Item quòd eius milites sua arma hoc signo insignire, ipsumq; prætereà in vestibus gestare oportuerit &c. Et postmodū vbì describit, quomodò Christiani Alexandriæ, idoli Serapis loricam ex omnibus postibus ac parietibus abraderent, Crucisq; signum in locum eius pingerent, Lib. 11. cap. 29. Et nostræ Crucis forma, inter formas Aegyptiacas, q̄ Hieraticę dicuntur, inuenta est. Sanctus Chrysostomus prædicat alicubì de idolothytis, qui erant cibi idolis immolati: Imprime eis (ait ille) signum Crucis, DEO gratias age, ei honorem da: & actutùm impuritas om̄is abiêrit. Homil. 12. super Timot. De impressi-

ſione Crucis, inuenis & in Dionyſio, eccl. Hierarc. cap. 5. Sed hoc ſignum facere, abſque firma fide & forti fidutia, precij eſt mo dici. quid tum ſatan id curet? Pertinẽt illuc & verba DEI, quibus ſinè hoc Dominus ſa tanam percuſſit, Mat. 4. Hîc correptiõe digni ſunt omnes ſuperſtitioſi ac falſi Chriſtiani, qui ſibi hoc ſanctiſſimo ſigno ad ma giam, pſtigias & impias benedictiones, blaſphemè abutuntur,

DIS.

Fuit & olìm Proceſſio ac Statio in Eccleſijs?

DOC.

Ità. Eiuſq; nullum vetuſtiorem teſtem ſcio, quàm Tertullianum lib. 2. ad vxorem. Inoleuitq; conſuetudo hæc, mea exiſtimatione, ex prelijs: in quorum ordine modò procedere, modò ſtare, iuxta quod neceſſitas fert, oportet. Sic habet & Eccleſia ſuũ morem, cùm ſeriò quidquam à DEO precari intendit. De coron. Milit. facit etiam Tertullianus mentionem ſtationis, q̃ CHRISTO fit, pſertìm Dominico die &c. Ad hęc,

teſtimonium perhibet ſanctus Chryſoſtomus, quòd etiam ſuo tempore Proceſſiões Eccleſiaſticæ (ſic enim ille vocat) fuerint, Lib. de Dign. Sacerd. Meminitque ſanctus Auguſtinus dierum Proceſſionum, & ſanctus Ambroſius ſcribit, quomodò Monachi ſuo tempore collectim exiuerint cum cantu Pſalmorum, iuxta morem antiquum &c. Epiſtola XXIX. Sãctus Bernardus concionem fecit de Eccleſiæ Proceſſióibus, ſimulque exponit, quemadmodùm DUO ac DUO fraternam in eis charitatem deſignẽt. Et quòd iuniores præeunt, ſignat humilitatem, quòd nos inuicèm, alter alterum, honore præuenire debeamus, Ro. 12. Sed conuertẽdo, poſtremi fiunt primi, ac primi poſtremi, Matt. XX. Cantus in eis, ſignant DEVM hilarem datorem amare, 2. Co. 9. Quòd verò ità procedit, indicat nos Chriſtianos ſemper creſcere, & ad bonũ properare, debere: nondùm enim appræhenſores eius ſumus, Phil. 3. De Eccleſiaſtico cantu ac DEI laude, aliam tibi aliâs inſtructionem dabo. Iam cuncta ferre non potes.

DIS.

DIS.

Vndenàm est, quòd presbyteratus singularē in sacris Officijs vestitū vsurpat?

DOC.

Recēs inuentum non est. Ioannes Apostolus πέταλον gessit, hoc est, singularem ex officio ecclesiastico galerum, Eusebius lib. 3, cap. 31. Tertullianus loqtur de infulis sacerdotum, Lib. de Monogam. Legitur etiam de Macario Episcopo Hierosolymitano, q̄ sacra quadam ac singulari veste indueretur cùm baptizaret, Histor. Trip. lib. 5. cap. 37. Mosaicum sacerdotium singulari etiam vestitu vtebatur, sicut in Legis libro sæpè legitur. Ad hoc, etiam gentiles Flamines insignem pileum, qui in acutam aciem desineret, gestabant, laneo filo capitibus suis circūligatum. Item Salij Martis, singularibus tunicis induebantur, super quas erat æneū pectorale, iuxta sui Numæ institutionem. In Officijs prætereà suis gerebāt sertum ex frumenti aristis, albo filo circunuinctum; idq; Romulus erat commentus. Aegyptij sacerdotes gerebant stolas albas lineas, quę

vestes erãt longæ. Ad quas alludit Virgilius in 6. de Threicio seu Orpheo loquens:

Longa cum veste sacerdos.

Et Suetonius scribit, quomodò Syluius Otho in lintea religiosaq; veste, idolo Isidis hostiam immolârit. Similiter etiã scribit de Domitiano, quemadmodùm se Isiaco habitu ex hostium manibus surripuerit. Christiani verò Sacerdotes sequuntur hac in re neque Iudæos, neque gentiles, sed patriarchas veteris Ecclesiæ, respectò q multo plùs ædificatorium, quàm scandalizatorium, sit inter omnes DEI timentes. Angeli DEI describuntur in stolis albis, ad amorem puritatis insinuandum. Itaque Dominus noster alba veste illusus fuit, Luc. 23. & purpurea, sicut alij Euangelistæ narrant. Quid igitur mali est, si nos in repræsentatione eius sanctæ mortis, hoc est, in Officio Missæ, in tali etiam veste, absque superstitione videamur? Verùm vti Domino, sic accidit & nobis. In tali veste irridebant eũ Iudæi, nos verò sectæ. Quarè nos meliꝰ, quàm Dominus habuit, habere velimus?

Bis,

DIS.

Quis excogitauit vt Sacerdotes gererēt (in ſummo capitis) coronam ſeu raſuram?

DOC.

Eſt & hic mos ſupra modum vetuſtus, cùm in Dionyſio ſancti Pauli diſcipulo legatur, Eccl. Hierarc. cap. 6. Et ibidèm ſpiritualiter exponitur, tonſuram hanc, vitę puritatem ſignare debere. Sāctus Auguſtinus etiam hac de re ſcribit, trahitq́; eò, ꝙ Leuitas Moſaicos, capillos ſuos omēs detōdere oporteret: hoc eſt, ait ipſe, inutiles ex corde cogitationes, Lib. de contemp. Mūdi. quanquàm Moſaica Lex hac in parte nihil ad nos attineat, nihilq́ue eius cauſa faciamus aut obmittamus. Et ſi Auguſtinum rectè intelligo, eius temporibus vſus fuit, ꝙ ſacerdotes ferè vniuerſos capitis pilos detondere oporteret, cùm dicat ipſe: Clerꝰ minimam capillorum partem in capite retinet &c. In Bernardo etiam de ſacerdotali corona legitur: & plerique hunc indè intellectum eliciunt, quòd ea geſtantem ſe commonefaciat, ipſum à Mūdanis voluptatibus liberum

eſſe

esse debere, nihilq; nisi quod cæleste foret, cogitare: tametsi hoc ipsum ibi maximè fiat, vbi minimè fieri deberet, DEVS misereatur. Coronas seu tonsuras ferre, non est rarum etiā apud alios, quanuis ijdem nostræ congregationis non sint, sicut apud Armenios, quorum presbyteri etiam rotūdas coronas gerunt, etsi barbas suas alioqui non radant. Georgiani item rotundas coronas habent: contrà, Laici eorum quadratas &c. Hoc dico, nè quis super hoc adeò miretur, quasi recens sit, & apud Catholicos tātùm sacerdotes, qui nullam neque fidutiam, neque beatitudinem in ea re ponūt aut figūt. Probos nihil omninò pudet, Ecclesiæ Patres in hoc imitari, præsertim cùm neq; cōtra DEVM sit, neque contra eius mādatum. Nam quòd plerique, Leuitici decimumnonum & vigesimumprimum aduersùs id interpretari volūt, nè nauci quidem est, cùm ea Mosis verba neque plattas neque cappas attingant, quemadmodùm hoc ego aliaq; plura seductoriæ & peruersæ sectarum interpretationis, velit Dominus, Germanicæ

regioni aliquandò ſum oſtenſurus.

DIS.

Eſt & laudabile, quòd in Eccleſia organizatur?

DOC.

Etiam, modò ad DEI laudẽ vergat, exemplo Dauidis, qui DEVM inſtrumentis muſicis cum Iedithun & alijs laudabat, 1. Par. 13. In Pſalmo nonageſimoſecũdo ait ipſe: Bonũ eſt confiteri Domino, & pſallere NOmini tuo Altiſſime: ad annunciandum manè miſericordiam tuam, & veſperì veritatem tuam: in decem chordis & pſalterio, cum cãtico in cithara &c. Immò Dauid etiam vult vbì dicit: Agite Domino gratias in citharis, & laudem dicite illi in pſalterio decem chordarum, Pſal. 33. Ad eiuſmodi monet nos etiam Pſalmo 150. At omnium rerum ſit modus. Quandò inſtrumenta huiuſmodi omninò ſeculariter, ac tãtùm ad ſuperbiam, auriumq; voluptatem, immò ad contemplationis deuotę, ſanctæque precis impedimentum vſurpantur, vereor DEVM ijs parùm delectari. Volo tacere, ipſum etiam

am offendi, quandò amatoria vana organis canuntur, quod DEO non solùm non placet, verùm summè etiam displicet, cùm hac in re nō ei ad laudem, sed hominibus inseruiatur ad voluptatem. Qui pertinent ad nouam sectam, nullum priùs organum visum vel auditum volebant: nunc organorū cantu saturari nō queunt. Verùm id voluptas quam indè quærunt, facit, non honor DEI. Potiùs enim per id sibijpsis pompaticè ludunt, quàm DEO: qui pręter hoc, complures eorū cantilenas & cantica parùm curat.

DIS.

De huiusmodi opatione modò sat est. Quum verò nos nō tantùm in templo collecti, sed etiam extra templa, domi, in foro, & ruri, benè recteque agere debeamus: finis (seu valedictionis) loco mihi breuiter ex sacra scriptura, quomodò se quisque iuxta suū statū gerere debeat, assigna.

# EXCERPTVM SCRIPTVRAE, QVO SE QVISQVE GERERE debeat modo.

DOC.

IMPERATOR, REX, Principes ac domini, ſint viri graues, DEVM timentes, veraces, & qui oderint auaritiam, Exo.18. ad hæc, prudẽtes & intelligentes, Deu. 1. & qui ſcripturam ſacram libenter legant, Deut.17. Iudicium etiam libenter exerceãt, iuſtitiamque defendant, exemplo Dauidis 2. Regum 8. Viduas & pupillos protegant, Eſa.1. Neque ſubditos ſuos opprimant aut vrgeant, contra quod Micheæ 2. Amos 4. Sanctus Ignatius ad Philippenſes ait: Principes, eſtote Imperatori ſubiecti.

Papæ & Epiſcopi ſint Moſes, hoc eſt, ij ad quos magnæ ſpectent cauſæ, Exod.18. Eaſdemq; iuxta DEI legẽ diſcernant, Deut. 17. Sint ad Officium ſacrum benè apti, ſicut Aaron: & in DEI domo fideles, velut

Ioiada: sancti & iusti, quemadmodùm Papa Linus & Episcopus Ambrosius. Sint & eruditi, vt Clemens & Cyprianus: libenter doceant, vtì Chrysostomus. & quæ ampliùs enarrari DEVS sinit 1. Tim. 3. & Act. 20.

Sacerdotes in actionibus DEI libenter laborent, sicutì Leuitæ & Nathinnæi: libēter studeāt, velutì Arator: se à populo subtrahant, quēadmodùm Hieronymus: libenter p̃dicent, quomodò Beda: libenter orēt, sicutì Bonauētura. & quod DEVS ampliùs enumerari sinit Titi 1. & 1. Petri 5.

Monachi iuxta spiritum ac spiritualem vitam, spirituales sint, agentes & omittentes, quomodò primi in Aegypto monachi, quorū laudibus multi libri sunt pleni. Abbates eorum, iuxta nomen suum, vnicuiq; sint patres. Sint & hi & illi suam iuxta professionem MONACHI, hoc est, solitarij, & solitudinis amātes: sibique pro exemplis esse sinant Rabanum, Bernardum, Robertum Tuitiensem &c.

Magistratus populum recto iudicio iudicent, iustitiam non flectant, nullam per-

ſonã reſpiciant,munera non capiant,Deut. 17.Tam probè ac iuſtè in populo ſe gerãt, quàm Nehemias:ſe cũ ſuis principibus ſuper alios homines nõ extollant, ſcientes & ſibi Dominum in cælis eſſe,Coloſſ.4.

Virgines ſint pudicæ,humiles,tacitæ ac verecundæ,vtì Abiſag,& MARIA Domini noſtri mater.Libenter legant, ſicut Euſtochium & Catharina: libenter laborent, quemadmodùm filia Caroli Magni: ac libenter curent, quî Domino DEO placeant,vt corpore paritèr & ſpiritu ſanctę eſſe queant,1.Cor.6.

Viduæ ſint probæ, ſeriæ, & conuerſationis modeſtæ,velut Iudith: & auxiliares, vtì Sarephthana:libenter orent ac ieiunẽt, ſicut Anna Phanuelis,Luc.2.infirmos libẽter viſitent,velutì vidua Lyddenſis Act. 9. ac velutì ſancta Eliſabeth.& quod ampliùs enumerari ipſis DEVS ſinit 1.Tim.5.

Coniugati viri ſint tanquàm Abrahã, in Chriſtiana probaque conuerſatione matrimonium rectè gerentes,vt ſint irrepræhenſibiles,1.Theſſ.4.1.Cor.1. vxoreſq; ſuas di-

diligant,earumque fragilitati honeſtè parcant,Ephe.5. 1.Petr.3. neque aduerſùm eas ſint amari,Col.3.

Coniugatæ mulieres ſint quaſi Sara,viris ſuis obedientes,eosque dominos vocantes:& ornatus earum nō ſit ex auro, ſed ex bona conuerſatione ac tacito ſpiritu,1.Pet. 3.Ephe.5.Col.3.

Parentes doceant filios ſuos,Deut.4.& 11. item pſalmo 79. eosque ad iracundiam non prouocent,verùm educent in diſciplina & monitione Domini,Ephe.6.

Liberi contrà parentibus ſuis obediant in omnibus,Ephe.6.Col. 3.quomodò filij Rechabim,ac potiſſimùm Iſaac.

Serui qui ſub iugo ſunt,dominos ſuos omni honore dignos æſtiment,1.Tim.6.illisque bona voluntate obſecundentur &c. Ephe. 6. Coloſſ.3. eisque non obmurmurent,neque diffidant,Titi 2.ſiue boni ſint patresfamiliâs,ſiue difficiles,1.Pet.2.

Domini ſeruis ſuis viciſsìm, quod iuſtū & æquum eſt,faciant,Col.3.minasque intermittant. Aduerſùm patresfamiliâs ſeruis

ſuis inclementes, propheta Hieremias capite 34. ſcripſit.

Hæc breuiter de Statibus. Cum his verò paritèr ſciendum eſt illud, quòd ſicut antedicta ſeorsìm ad ſuam cuique vocationé ſufficiunt, ità ad Chriſtianiſmum omninò ſatìs nō ſunt. Nam cuncta hęc enumerata, nēpe Chriſtiana bona opera; multo magìs faciēda ſunt in Eccleſia paritèr ac domi, iuxta vocationem æternam. Potes dilecte fili, hac doctrina aliquandiù cōtentus eſſe, donèc plus aliquid DEVS addat. Hanc ſemper ante oculos habe, Exod. 13. Aſſume eam in cor, neq; eius obliuiſcaris vnquàm, Pro. 4.


DIS.

Libenter. Miſericors DEVS tua ſit merces: & propter omnia quæ mihi fecìſti bona, meminerit tuî in bonum. Dominus ſit tecum.

DOC.

Et cum ſpiritu tuo ſemper. Amen.

FINIS.



SERIES ABECEDARIA OPVſculi præſentis.

a, A, B, C, D, E, F, G, H, I, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, V, X, Y, Z, AA. ſingulaque ſunt integra folia, exceptis ſemifolijs duobus, videlicet a, & AA.



